



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibus Cœram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

Prima Agit De Sacramentorum doctrina, & 19. Capitibus absolvitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721



PRIMA
PARSTRACTA-
TVS DE SACRA-
MENTIS.

CAPVT I.

DE DEFINITIONE SACRA-
menti, & alijs spectantibus ad
essentiam eius.

Quid est Sacramentum?

EST signum rei sacræ: Quæ definitio
ponitur à Magistro sententiarum libro
4. d. 1. & est desumpta ex Augustino li-
bro. 10. de ciuitate Dei cap. 5. eam explicat S.
Thomas in 3. parte quæst. 60. art. 1.

Pro definitionis intelligentia aduertendum ex Augustino. Signum esse, quod præter rem, quam sensibus obijcit, efficit etiam, vt alterius rei ex se cognitionem capiamus: Sicut ex vestigio alicuius, terræ, aut niui impresso, cognoscimus aliquem transisse.

Signum in primis duplex est, Alterum
natu-

IN GENERE.

naturale, quale est fumus ignis. Aliud ex institutione, vt hædera vini, posterius subdividitur ita, vt aliud sit ex diuina, aliud ex humana institutione: Quod diuinitus institutum, iterum in Speculatiuum, & practicum distribuitur. Speculatiuum quod tantum significat, & nihil efficit: Sic serpens æneus erat signum Christi erigendi in cruce: Sic panis azymus, & alia multa in lege Mosaica, erant signa futurorum: Practicum quod non modo significat, sed etiam efficit, & operatur, exempli gratia, Ablutio in sacramento baptismi, significat, & efficit ablutioem internam animæ in peccato. Per signum ergo, in definitione sacramenti intelligitur signum diuinitus institutum, practicum, sensibile aliquo sensu. Deinde nomine (rei sacræ) intellige gratiam sanctificantem, & iustificantem animam, his sic annotatis optimè intelligitur definitio catechismi, desumpta ex S. August. loco cit. Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibile signum ad nostram sanctificationem diuinitus institutum.

*Signum
quotuplex
sit.*

*Quale sit
signum sa-
cramentū.*

Tandem iuxta doctrinam S. Thomæ q. d. artic. 3. sacramentum est signum rememorative passionis Christi, id est, reuocans in memoriam passionem Christi, quæ est causa nostræ sanctificationis. Demonstratiuum diuinæ gratiæ, quæ est forma nostræ iustificationis, ac tandem, Pronosticum, id est, prænunciatiuum futuræ gloriæ, quæ est
finis

finis nostræ salutis, & sanctificationis:

Quibus rebus perficitur sacramentum?

TRIBVS. Materia, forma, & intentione ministri.

Quid nomine materiae & formae in doctrina sacramentorum intelligitur?

QVEMADMODVM Physici tradunt corpus constare materia, & forma, tanquam partibus essentialibus: Sic Theologi sacramentum perfici rebus ut materia, & verbis ut forma, tanquam partibus substantialibus, decernunt. Vnde illud celebre S. Augustini dictum super Ioannem, tractatu 80. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Per elementum ut praesenti materiae accommodamus, non intelligitur elementum proprie dictum, sed res sensibilis.

Quid materiae & formae nomine in sacramentis intelligitur. Nam quaedam sunt sacramenta, ut in suis locis patebit, in quibus materia non est elementaris; habent ergo in sacramentis res materiae, verba vero formae locum.

Quid rerum & verborum nomine, in hac materia intelligitur?

PER res in Sacramentis intelliguntur vel res externae sensibiles siue elementares, vel actus quibus ipsae res applicantur, vel actus interni, ut in sacramento Pœnitentiæ cognoscetur. Per verba autem, verba viva voce prolata, quae semper sunt necessaria, in
sex

sex sacramentis, in matrimonio autem signa quandoque possunt supplere vicem verborum, vt constat, quando mutus contrahit matrimonium.

Licetne in sacramentis vti rebus & verbis indeterminatis & incertis?

IN sacramentorum administratione duo genera rerum sunt. Quædam spectant ad substantiam sacramenti, veluti materia, & forma. Quædam ad cæremonias & cultum externum. Nunc pro resolutione dicendum. Primò: In sacramentis vtendum est rebus, & verbis à Christo determinatis. Quia res, vt materia, & verba vt forma, sunt de substantia sacramenti. Secundo, quæ spectant circa sacramenta ad cæremonias, & externum cultum, successione temporum, pro varietate Ecclesiarum & locorum mutata sunt, & indies mutantur, vt patet ex Agendis, & libris variarum Ecclesiarum, hæc enim non sunt de substantia sacramentorum, sed solemnitatem concernunt.

*S. Thom.
quest. 60.
art. 7.*

Potestne addi aliquid verbis, in quibus forma sacramentorum consistit, vel etiam aliquid demi?

EX doctrina S. Thom. art. 8. hæc possunt pro resolutione sumi conclusiones.

Prima, Si quis per additionem, vel diminutionem verborum, intendat inducere reri-

reritum ab Ecclesia Catholica alienum, non videtur perficere Sacramentum. Quia non habet intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, eadem Conclusio, constat ex cap. retulerunt, de consecrat. d. 4.

secunda, Quando per mutationem verborum, tollitur debitus sensus eorundem, non efficitur sacramentum.

Tertia, Quotiescunque sensus verborum seruetur, etiamsi idioma mutetur, vel verba varientur, efficitur sacramentum, v. g. Si quis ex ignorantia dicat, ego te baptizo in nomine patria, & filia, & spiritua sancta, de qua re est expressa determinatio Zachariae Papae, de consecrat. d. 4. cap. retulerunt. Vbi legendus est Cardinalis à Turrecremata super hac materia.

Quarta, Quando cunque quis mutat formam sacramentorum determinatam, ex proposito, & culpabili negligentia, mortaliter peccat. Quia facit contra præceptum, & exponit se graui periculo in re, circa quam maxima diligentia adhibenda est.

Quinta regula additur. Quando aliquis post prolationem formæ in administratione alicuius sacramenti, probabiliter dubitat, an rectè & integrè formam protulerit, eandem secreto iteret: & in sacramento baptismi ob periculum irregularitatis addatur conditio. Si tantum scrupulus obrepat, an rectam adhibuerit formam, rejiciatur.

Que

Qua intentio in ministro requiritur ad perfectionem sacramenti?

ANTE omnia certissimum est, tùm ex Evangelio, tùm ex concilijs, præsertim Florentino, & Tridentino, ad sacramentum requiri de necessitate tam sacramenti, quàm præcepti intentionem ministri. Quia quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersis accommodari: Sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem, & ad ludum, & ad alia. Quare oportet, vt determinetur ad vnum, id est, sacramentalem effectum per intentionem ministri. S. Thom. 3. part. q. 64. art. 7. Intentio autem ministri in conficiendo, & conferendo sacramenta, debet esse quod velit facere, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Concil. Trident. sess. 7. de sacramentis in genere, canone 11. his verbis. Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit. Ad plenioram autem huius rei scientiam, aduertendum, triplicem reperiri intentionem. *Triplicem* Actuale, quam habet, qui de presenti, quando *potest esse intentio* vult conficere sacramentum, elicit actum in *ministri.* voluntate, de eo quod intenditur, exempli gratia, vult conficere sacramentum secundum usum Ecclesiæ. Habitualement, quam habet aliquis

B quis

*Intentio
ministri
duobus
modis po-
test esse
peruersa.*

quis in se ex frequentatione actuum : nam ex actibus generatur habitus inclinans ad similes actus, & talem intentionem potest etiam dormiens habere, & tertiam Virtualem, quam habet is, qui ex virtute actualis intentionis præhabitæ, procedit in opus. Ad sacramenti administrationem, optima est actualis intentio, insufficientis habitualis; sufficiens virtualis. Præterea attendendum, quòd in sacramentorum administratione, intentio, duobus modis potest esse non recta. Vno modo respectu sacramenti, vt si non intendat conficere sacramentum, sed agere aliquid ioco, vel delusoriè, & tunc cum nulla sit intentio, non conficitur sacramentum. Alio modo respectu alicuius consequentis sacramenti ministerium, vel ipsum sacramentum, vt si quis intendat corpus Christi conficere, vt eo ad veneficia abutatur, & talis intentionis peruersitas, cum sit posterior, non impedit sacramenti perfectionem.

CAPVT II.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTORVM.

Causa efficiens duplex.

PRIMA conclusio. Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ, id est, conferunt gratiam ritè dispositis, ex opere operato. Pro clariori huius materiæ intelligentia, in primis notandum,

dum, duplicē esse causam efficientē; principalem, à quo principiū motus; & instrumentalē; per quā à principali motus deriuatur, & quasi refertur, exempli gratia, homo secās ligna bipenni, homo est causa principalis sectionis lignorū: bipennis instrumentalis, quia motus sectionis incipit ab homine secante, & deducitur per bipennē in ligna. Præterea instrumentū est duplex, Coniunctū, & Separatum. Coniunctū, quod principali agenti est annexum. Separatum quod non principali agenti colligatū est, v. g. vt in eodem exemplo ostendamus, homo secans ligna bipenni, bipennis est instrumentū separatum, manus, vel brachium coniunctum. Nunc ad propositū veniamus. Deus est causa principalis gratiæ, in sacramentis. Instrumentū coniunctum; humanitas Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, Verbo coniuncta. Instrumenta verò separata, sacramenta. Quare rectissimè Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Baptismum causam instrumentalem, nostræ iustificationis determinat. Ex his patet, quomodo sacramenta sint causa gratiæ. Additur in conclusione (nouæ legis) ad distinctionem sacramentorum veteris legis, quæ erant infirma & egena elementa, secundum Apostolicam doctrinam, & tantum significabant, nec conferebant, nostra autem continent gratiam & conferunt ritè dispositis: Si autem percipiens ponat impedimentum,

B 2

aut

Instrumentum duplex, Coniunctum & Separatum.

aut obicem non consequitur gratiam ; qui defectus non reducit in sacramentum, sed in hominem negligentem gratiam. Dicitur (ex opere operato.) Quia secundum Catholicam doctrinam, gratia dupliciter confertur. Ex opere operato, & opere operantis.

Gratia confertur ex opere operato, & opere operantis.

Ex opere operato gratiam conferunt sacramenta, quæ ex sua natura, & virtute à Christo communicata, & determinata, operantur in suscipientibus, etiam si suscipientes non cooperentur motu liberi arbitrij, modo obex non ponatur, ut patet in infantibus, quando baptizantur, aut confirmantur ; & infirmis usu rationis priuatis, quando inunguntur. Ex opere verò operantis, actus virtutum, & pietatis opera, in habente gratiam & charitatem, gratiæ augmentum efficiunt. Conclusio ergo Catholicæ fidei est, quod sacramenta nouæ legis ritè dispositis, ex opere operato conferant gratiam, eiusq; causa sint: ut definit Concil. Trident. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de sacramentis in communi.

Secunda Conclusio. Sacramenta non solum conferunt gratiam, sed etiam eam in se continent, ut dictum Concilium determinat. Sacramenta enim sunt vasa, in quibus merita Christi deferuntur, & per quæ nobis applicantur, gratiaque confertur.

Pro hac conclusione legendus S. Thom. 3. part. q. 62. art. 3.

Tertis

Tertia Conclusio. Sacramenta etiam conferunt habitus infusos, fidem, spem, charitatem, aliaq; dona Spiritus sancti. Quia hæc inseparabiliter gratiam iustificantem comitantur.

Quarta Conclusio. Singula etiam sacramenta, conferunt sacramentalem gratiam, ad peculiare effectus. Ratio est, quia Deus & natura, nihil frustra faciunt; frustra autem ponentur plura Sacramenta, si eorum non essent diuersi effectus; Sic in Sacramento baptismi, confertur peculiare auxilium, ad reliqua sacramenta dignè suscipienda: in confirmatione, ad fidem publicè confitendam, & contra inimicos defendendam; in Eucharistia, spiritualis delectationis, & deuotionis augmentum; in confessione, peculiare auxiliū ad persistendum in gratia. In extrema vnctione, robur contra tentationes Dæmonum, qui in extrema hora nos in desperationem ducere conantur. Tandem in matrimonio, speciale adiutorium, ad superandas carnis concupiscentias communicatur: Conclusio dicta colligitur ex Alexand. Alens. in 4. part. q. 8. art. 2. S. Thom. in 3. par. q. 62. art. 2. Bonau. in 4. sent. d. 1. q. 6. art. 1. & alijs ibidem.

Quinta Conclusio. Præter dictos effectus, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem in anima. Concil. Trident. loc. cit. can. 9. Character autem nihil aliud est, quàm spiritualis potestas animæ collata a Deo, qua

Character sacramentalis quid.

qua redditur apta ad sacramenta recipienda, & administranda. Character est indelebilis, vt Concil. Trident. tradit. & cap. Maiores, de Baptismo, & ratio conuincit. Quicquid enim corrumpitur, vel corrumpitur ad corruptionem subiecti, vel à contrario, Character non corrumpitur primo modo, quia anima, cui character inhæret est incorruptibilis: nec secundo modo, quia characteri nihil est contrarium. Hinc sequitur secundum fidem, quod sacramenta imprimunt characterem non reiterentur. Manet autem character post hanc vitam in beatis, vt sit ornamentum gloriæ: In damnatis, vt perpetua nota ignominie.

Quare character maneat post hanc vitam.

CAPVT III.

DE INSTITVTIONE, MINISTRO, & numero Sacramentorum.

OMNIA sacramenta nouæ legis, à Christo Domino Salvatore nostro sunt instituta. Concil. Trident. sess. 7. can. 1. Solus autem Deus est, gratiæ sacramentalis causa principalis. Ipse enim interius operatur, ad effectum sacramenti. Deus enim est qui iustificat, & alio in loco; gratiam & gloriam dabit Dominus.

De

De Ministro.

MINISTER in administratione sacramentorum, est instrumentalis causa gratiæ. Non enim operatur virtute propria, sed principalis agentis nempe Dei, & meritorum Christi, cuius actionem deferens in animam, reddit illam, non sibi, sed Deo, mediante gratia similem. Hinc colligitur, quod gratia sacramentalis, quæ ex opere operato conferitur, per sanctiorem ministrum non augeatur, nec per malum diminuatur. Rectè enim August. dicit super Ioan. tract. 5. in illa verba Ioan. 1. Super quem videris spiritum, &c. Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus: & Apostolus. Non enim qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, & de consecrat. d. 4. can. Baptismus, & can. inter bonos.

Conclusio est ergo de fide, quod minister in peccato mortali existens, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, conficiat & conferat sacramentum, Concil. Trident. loc. d. can. 12. & vide ad hanc veritatem multos canones 1. q. 1.

Prima difficultas, An minister existens in peccato mortali, peccet sacramenta administrando?

PRI MA *Conclusio.* Minister existens in
B 4 pec-

peccato mortali, si sacramenta administrat, mortaliter peccat: probatur i. q. i. can. omnia sacramenta obsunt indignè tractantibus, profunt tamen per eos dignè sumentibus: & ibidem can. per Esaiam. est communis DD. S. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. Caiet. ibid. & scholasticorum in 4. d. 5. Nauarr. in manuali cap. 22. num. 3. & Petri à Soto de institutione sacerdotum lect. 3. Alia tamen est ratio in baptismo, si sacerdos in necessitate, in qua laicus potest baptizare, baptizet, tunc enim non peccaret, vt tradit S. Thom. in d. art. ad 3. quem alij alibi sequuntur; hoc autem peccatum refert S. Thom. ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum. Dicit etiam D. Dionysius cap. i. de Ecclesiastica Hierarchia. Malis non est fas tangere symbola, id est, sacramentalia signa.

Secunda Conclusio. Quamuis probabile sit Diaconum & Subdiaconum mortaliter peccare, si in mortali peccato cum solemnitate administrant, cantantes Euangelium, vel Epistolam: probabilius tamen est eos non peccare mortaliter, Dominic. à Soto in 4. d. 5. q. 5. art. 6. Ioseph. Angles in floribus Theologicarum quæstion. in 4. sent. q. vlt. de sacramentis in communi art. 5. Ratio, quia eorū ministeria non sunt sacramenta, sed sacramentalia, & quædam actiones imperfectæ, & dispositiones ad Eucharistiam.

Tertia

Tertia conclusio. Concionator, si est publicus peccator, concionando mortaliter peccat, nisi verè pœniteat: Secus autem si sit occultus. Ratio, quia publicus peccator præbet scandalum, quæ ratio cessat in occulto, sic docet Sotus, & Iosephus Angles loc. cit.

Dices Quid dicitur faciet minister existens in peccato mortali, cui incumbit ex officio sacramenta administrare?

RESPONDEO. Minister si est in mortali, debet pœnitere de peccato, & elicere actum contritionis, vel attritionis, quo se probabiliter contritum existimet: Quod brevissimo tempore fieri potest. De hac materia S. Thom. in d. art. ad 3. Caiet. & alij citati, & latè Nauarr. de pœnit. d. 5. in summa Tertia Gloss. à num. 30.

Alia tamen est ratio, quando quis celebraturus est, aut communicaturus, tunc non sufficit quòd quis se contritum existimat, sed requiritur sacramentalis, & actualis confessio, si habeatur copia confessoris, vt infra cap. 6. de sacramento Eucharistiæ dicetur.

Secunda difficultas. An qui recipit sacramentum à ministro, quem scit in mortali existere, mortaliter peccet?

PRIMA *Conclusio.* In extrema necessitate licitum est à quocunque sacerdote,
B 5 etiam

etiam malo accipere sacramenta ; Extrema autem necessitas est , in articulo mortis. In hac conclusione omnes conueniunt. Necessitas enim legem talem non admittit. Quia concurrentibus duobus præceptis incompatibilibus, illud magis obligat, cuius transgressio magis nocet. Magis autem nocet periculum salutis in necessitate, quàm transgressio præcepti, de non communicando cum peccatore, aut etiam excommunicato , suspenso, aut interdicto, &c.

Secunda Conclusio. Subditus potest à suo curato, etiam in peccato constituto sacramenta petere, & recipere, atque etiam inducere ad sacramentorum administrationem, quam diu toleratur ab Ecclesia, iusta existente causa. Nam qui utitur suo iure non peccat, & subditus habet ius petendi, neque etiam inducendo peccat, cum petat sibi debitum, quod potest curatus sine peccato reddere, si pœniteat.

Tertia conclusio. Nulla premente necessitate, inducere ad celebrandũ, aut administrandum sacramenta Sacerdotem, qui cognoscitur esse in statu peccati mortalis, peccatum est. Quia est cooperari peccato alterius.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

Quot

Quot sunt sacramenta nouæ lægis?

SEPTEM nec plura, nec pauciora. Baptis- *Sacramē-*
mus, Confirmatio, Eucharistia, Pœni- *ta noua le-*
tentia, Extrema vnctio, Matrimonium, & Or- *gis sunt se-*
do. Est de fide ex Concilij Florentino, & Tri- *ptem.*
dentino sess. 7. can. 1. & vniuersali Ecclesiæ
traditione. Causa congrua septenarij numeri
ponitur à S. Thoma 3. p. q. 56. art. 1. numerus
sacramentorum contra hæreticos defenditur
atque ostenditur à Roberto Bellarmino tom.
2. Controuers. lib. 2. à cap. 23.

Hæc septem factamenta, non sunt æqualis *Sacramen-*
dignitatis, sed aliud alio dignius est, ex Con- *ta non sunt*
cil. Trident. loc. cit. can. 3. Excellentissimum *æqualis dig-*
est Eucharistia, quia in eo continetur Chri- *nitatis.*
stus: & alia omnia in Eucharistia cōsumman-
tur: Sunt autem hæc septem sacramenta
ad salutem humani generis necessaria, licet
non omnia singulis. Quæ de fide credenda
& tenenda, circa sacramentorum doctrinam
in genere, videri possunt in Concil. Trident.
loco d.

CAPVT IV.

DE SACRAMENTO *Baptismi.*

Quid

Quid est Baptismus?

EST ablutio exterior corporis, sub præscripta verborum forma facta: vt Magister Sentent. in 4. d. 3. dēfinit, quam definitionem explicat. S. Thom. in 3. part. quæst. 66. artic. 1.

Quæ est materia Baptismi?

MA T E R I A, vt fides Catholica tradit, est aqua vera, naturalis siue elementaris, patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Hinc infertur, quod in aqua artificiali expressa ex herbis, aut floribus, nemo potest baptizari, sicut nec in quocunque alio liquore, specie differenti ab aqua naturali. Idem est iudicium, si tanta fiat rerum aliarum cum aqua permissio, vt species aquæ non amplius consistat.

Quæ est forma?

E G O te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Matth. ult. cap. 1. de Baptismo, & eius effectu.

Quantum ad integritatem formæ, si verbum (ego) omittatur, peccatur quidem, tenet tamen Baptismus, quia subintelligitur. Idem dicendum de vltimo verbo, Amen, secundum aliquos qui putant esse præcepti: Eadem est ratio, si loco (te) ponatur nomen pro-

proprium Baptizandi. Tenet etiam Baptismus, Si quis dicat Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, &c. vt constat ex consuetudine Ecclesiæ Græcæ, quæ vtitur dictis verbis. Si quis autem dicat. Ego te baptizo in nominibus, pro(nomine) non tenet Baptismus, quia indicaretur diuersitas essentiæ, inter personas. Nec etiam valet, si quis dicat, in nomine sanctæ Trinitatis, quia expressa, & distincta prolatio trium personarum, in forma Baptismi est necessaria. Si autem quis baptizetur in nomine Christi, dubium est inter Doctores, an teneat. Quia Actor. 2.8. & 19. legitur Apostolos sic baptizasse. Nunc autem dicendum, si quis sic baptizaret, mortaliter peccaret, agendo contra præceptum Ecclesiæ, & exponendo se, & alium periculo, in re pertinente ad salutem, & sic baptizatus, sub conditione esset iterum baptizandus, per regulam generalem in hac materia. Quotiescunque dubium est, an valeat Baptismus, sub conditione iterum baptizandus est, cap. 2. de Baptismo & eius effectu: hoc modo. Si baptizatus es, non te rebaptizo: Sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quis minister Baptismi est?

VIA ordinaria est Sacerdos, & si Diaconus, vel Subdiaconus, vel alius clericus
extra

extra casum necessitatis baptizat, mortaliter peccat, & in quocunque casu solemniter baptizat antè presbyterium efficitur irregularis: c.1. de clerico non ordinato ministrante.

In necessitate autem quilibet homo, tam fidelis, quàm infidelis, siue vir, siue mulier, potest baptizare, si sciat debitam formam, & habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Quia cum Baptismus sit sacramentum necessitatis, sicut ex parte materiæ sufficit quæcunque aqua naturalis, ita ex parte ministri quicunq; homo, vt testatur S. Thom. q. 67. art. 5. Tamen id obseruandum, vt in necessitate, præsentem clerico, laicus non baptizet, & præsentem clerico maiore, minor non baptizet, & præsentem viro, non mulier, & præsentem fideli, non infidelis.

De ablutione, vel immersione, An trina immersio sit necessaria?

QUANTVM ad Baptismi necessitatem, requiritur ablutio, vt autem fiat vna ablutio, vel immersio, quæ vnicam passionem Christi significat: vel trina, quæ Trinitatem denotat, seruandum est secundum consuetudinem & ritum Ecclesiæ, in qua Baptismus confertur. In quibusdam locis, infantes merguntur in aquam, in alijs aqua super eos funditur.

Ante omnia in hoc sacramento, & in alijs obser-

obseruandum, vt fiat ablutio siue immersio, quando verba formæ proferuntur; quia in collatione Sacramentorum, materia & forma debent coniungi, vt docent S. Thom. in 3. part. quæst. 60. art. 6. & q. 66. art. 8. Caiet. ibid. Ioannes à Turrecremata, cum Gloss. in 1. q. 1. cap. Detrahe. Nauarr. in Manuali cap. 22. num. 7. & alij alibi. Seruandus est ergo moralis modus, vt quando ablutio fit, verba simul proferantur. Quando autem trina fit ablutio siue immersio, id ante omnia cauendum, ne ad vnamquamque ablutionem tota forma repetatur, vt factum ab indoctis animaduerti, sed sub vna formæ prolatione fiant tres ablutiones: *Prima*, quando dicitur: Ego te baptizo in nomine Patris. *Secunda*, in verb. & Filij. *Tertia*, quando profertur: Et Spiritus sancti.

Que pars corporis debet abluī, aut aqua perfundi?

CONSVETUDO vniuersalis Ecclesiæ, baptizat in capite, in quo vigent omnes sensus interiores & exteriores, vt docet S. Thom. q. d. art. 7. Potest tamen abluī omnis vera, & viua pars corporis. Quare si timeretur mors infantis, pede, aut brachio emisso, possit baptizari in parte emissa, & foris apparente, quia anima est in qualibet parte corporis viua: vt rectè tradunt S. Thom. in quæst. 68. art. 11. ad vltimum, & in 4. d. 6. art. 1. q. 1. & Nauarr.

uarr. de pœnit. d. 1. cap. vulgaris, num. 3. & in Manuali Confess. loco d. & alij alibi. Tamen si tempus admittat, iterum sub conditione baptizandus esset talis infans, vt quidam rectè tradunt.

DE NECESSITATE

Baptismi.

An Baptismus omnibus sit necessarius ad salutem, ita vt nullus hominum possit saluari, si non baptizetur.

QVÆSTIO potest intelligi : aut de adultis, aut de paruulis. Item de Baptismo in re, vel in voto : nunc dicendum secundum fidem Catholicam. Baptismus in re, vel in voto, est necessarius omnibus hominibus ad salutem, patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest introire in regnum cœlorum. Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. de iustificatione, & sess. 7. can. 5. de Baptismo. Aliter tamen loquendum de adultis: Aliter de paruulis. Adulti, cum habeant vsum rationis, possunt per Baptismum in voto saluari, adiuncto Baptismate flaminis, in casu, quo Baptismus aquæ in re, haberi non potest. Paruulis autem via ordinaria, simpliciter necessarius est Baptismus aquæ in re, patet ex Ioan. 3. & traditione Apostolica, de qua scribunt D. Dionysius Areopagita cap. vlt. Cœlestis Hierachia. August. lib. 4. contra Dona-

Donatistas. cap. 24. & lib. 1. de Baptismo paruulorum cap. 16. Cyprianus lib. 3. Epistolarum cap. 8. Quare sacri canones docent, summa celeritate esse recurrendum cum infantibus ad Baptismum: cum non sit aliud remedium salutis pro illo statu, & sine causa eorum Baptismus differatur; de consecr. d. 4. cap. Baptizandi, &c. Nulla præter.

Hic etiam obseruandum si adultus baptizatur, debet habere intentionem recipiendi, quod dat Ecclesia, vel Christus instituit, & requiritur etiam ad effectum gratiæ, vt sit in eo fides, iuxta illud Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ad idem facit consuetudo Ecclesiæ quæ interrogat catechumenos, an credant. In adultis etiam dolor de peccatis necessarius est, cum proposito de mutatione vitæ futuræ, ex illo Actor. 2. pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Quantum verò ad infantes, cum non vtantur ratione, nec contraxerint peccatum originale propria voluntate, sufficiunt ipsis intentio, & fides Ecclesiæ & fidelium.

Quotuplex est Baptismus?

TRIPLEX à Doctoribus ponitur. Vnus Baptismus aquæ siue fluminis, qui propriè est Baptismus & Sacramentum. Alter pœnitentiæ siue fluminis, qui fit per contritionem & conuersio-
C
triplex fluminis, & conuersio- sanguinis.

uersionem ad Deum, sic dictus, quia à Spiritu sancto, per modum charitatis inflatur. Tertius sanguinis, quo martyr proprio sanguine abluitur, de his fit mentio de consecrat. d. 4. cap. Baptismi vicem. Baptismus aquæ est sacramentum, reliqui sic dicuntur, quia vicem Baptismi suppleant, quando haberi non potest. Deinde si quis baptizetur Baptismo flaminis, aut sanguinis, data opportunitate, tenetur adhuc suscipere Baptismum aquæ, sed non contra.

De suscipientibus baptizandum apud fontem.

IN Baptismi administratione requiritur aliquis, vel aliqua, qui, vel quæ puerum leuet de fonte, vt constat ex traditione Apostolica ad nos vsque deriuata, de qua D. Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia. Officium autem suscipientis est, eum quem de fonte leuat, instituere in necessarijs ad salutem, si parentes moriantur, vel negligentes sint. Inter suscipientes baptizatum, baptizatiq[ue] patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq[ue] patrem & matrem, cognatio spiritualis contrahitur, de qua Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. matrimonij. Dubium hinc esse potest. An, quando puer in necessitate domi, sine solemnitate baptizatur, & postea defertur ad Ecclesiam, vt solemnitas adhibeatur, & ibi tenetur

atur ab aliqua, vel aliquibus, an in Ecclesia contrahatur cognatio spiritualis. Respondetur, quod in illo posteriori actu, quando solemnitas adhibetur, non contrahatur, quia ibi non est Baptismus, sed tantum quid sacramentale, & solemnitas extrinseca sacramento. Nauarr. in Manuali confess. c. 22. nu. 40. Rebuff. in reg. 46. Innocentij 8. de dispensationibus in gradibus prohibitis, Gloss. 5. num. 28. dicit hanc declarationem datam in plumbo.

Dubium. An cognatio spiritualis per procuratorem contrahatur?

RESPONDETUR quamuis aliqui asserant contrahi, quos recenset Syluester in verbo Matrimonium 8. q. 7. tamen dicendum quod minimè contrahatur, sic Bart. in l. Gallus. §. forsitan. ff. de libert. & posthum. Syluest. loc. cit. Dominicus Sotus in 4. sent. d. 42. q. 1. art. 2. Didacus Couarr. in tit. de sponsalib. 2. par. c. 6. & alij ab eo citati. Quia suscipere infantem de fonte, est actio personalis.

An Baptismus possit reiterari?

IN nullo casu, sine graui sacrilegio potest reiterari. Probatum Ephes. 4. vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma. & Hebræor. 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati gustauerunt donum cœlestē, rursus renouari ad pœnitentiam. Per pœnitentiam sancti patres in-

C 2 telli-

telligunt Baptismum: & in symbolo Nicæno, Confiteor vnum baptisma in remissionē peccatorum. Hinc in iure ciuili seuerè prohibetur sub pœna capitis, ne quis scienter rebaptizet. l. 2. C. Ne sacer Baptismus reiteretur. Quando autem probabiliter dubitatur, an puer sit baptizatus, iterum baptizandus est sub conditione, modo supradicto. Quia non dicitur reiteratum, quod nescitur factum; de consecr. d.

Rebaptizans efficiatur irregularis. 4. cap. de his. Efficitur etiam secundum ius canonicum irregularis rebaptizans. de consecr. d. 4. cap. Eos, & cum hoc solus Papa dispensat. Quare sacerdotes diligenter debent examinare, quando puer defertur ad Ecclesiam, an in necessitate sit baptizatus, & quomodo, ne sine iusto dubio reiterent baptismum, & incendant in pœnas canonum.

De effectibus Baptismi.

PROPRIVS & principalis Baptismi effectus est, verè remittere omnem culpam, tam originalis, quàm actualis peccati ipsum præcedentis, & infundere gratiam, virtutesque infusas: Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali can. 4. & 5. & cap. Maiores de baptismo, &c.

Secundus, remittere etiam omnem pœnam peccatorum ipsum antecedentium.

Tertius, aperire regnum cœlorum. Ioan. 3.

Quartus, imprimere characterem,

Quin-

Quintus, illuminare intellectum, & fecundare affectum. De cæremonijs quæ à Catholicis adhibentur, in administratione Baptismi latè ex patribus Bellarmin. tomo 2. lib. 1. de sacramento Baptismi à cap. 25. tractat.

CAPVT V.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quid est Confirmatio?

EST Vnctio chrismatis in fronte baptizati, facta ab Episcopo sub præscripta verborum forma.

Quæ materia & forma huius sacramenti?

MATERIA est chrisina ex oleo oliuarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo consecratum. Non potest autem materia huius Sacramenti consecrari à simplici Sacerdote, nisi ex commissione Pontificis.

Forma huius Sacramenti ex Concilio Florentino, est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Confirmatio debet in formam crucis fieri, ita vt minister, crucis signo suscipientem muniat: Alioqui forma esset falsa, nam dicit, Signo te signo crucis.

C 3

Qui

Qui videre voluerit cæremonias huius Sacramenti explicatas, legat Catechismum Concilij Tridentini, de Sacramento Confirmationis, & Franciscum Cofferum in institutione Christianæ pietatis. Et Bellarmin. tom. 2. lib. 2. de Sacramento Confirmationis capite 13.

De Ministro.

MINISTER ordinarius est Episcopus ex Concil. Trident. can. 3. de Confirmatione, & traditione Ecclesiæ.

De Suscipientibus.

SA CRAMENTUM confirmationis, potest dari omnibus fidelibus baptizatis, etiam paruulis ante usum rationis, vnde legitur quod antiquis temporibus, statim post Baptismum conferebatur, conueniens tamen videtur, nisi Episcoporum rara præsentia aliud postulet, vt Confirmatio differatur vsque ad septimum annum. Tunc enim pueri incipiunt habere usum rationis, & apti esse ad pugnam.

Si autem adulti confirmandi: vt gratiam Spiritus sancti recipiât, aut confiteri, aut peccatorum contritionem elicere debent, & de hac re à Parochis sedulò instruendi, quando tempus Confirmationis instat.

Patrinus etiam in hoc Sacramento, sicut
in

in Baptismo adhibetur, vnde etiam oritur af-
finitas spiritualis, & impedimentum matri-
monij, vt in doctrina de matrimonio decla-
rabitur.

Cum hoc sacramentum imprimat chara-
cterem, nullo modo est reiterandum.

De effectibus huius sacramenti.

EFFECTVS principalis est robur, & gra-
tia Spiritus sancti, ad fortiter pugnan-
dum, & constanter confitendum nomen Do-
mini nostri Iesu Christi. Quare nullo modo
quando se offert occasio Episcopi, est negli-
gendum, & qui ob contemptum prætermi-
tit, mortaliter peccat. Quia sacramentum
contemnit, & Christum sacramenti aucto-
rem spernit. Præter hunc effectum, imprimit
etiam characterem, qui de necessitate præ-
supponit Baptismum.

CAPVT VI.

DE SACRAMENTO

Eucharistiæ.

IN primis notandum, quod Eucharistia *Euchari-*
non solum est sacramentum, sed etiam sa- *stia est sa-*
crificium: Agetur ergò hoc cap. de sacramen- *cramentū,*
to Eucharistiæ. *& sacrifici-*

C 4

Eucha- *cium.*

Eucharistia latinè dicitur bona gratia, quia continet fontem omnis gratiæ, scilicet Christum: vel gratiarum actio, quia per hanc hostiam, immensas agimus Deo gratias pro beneficijs.

Quid est Eucharistia?

*Quomodo
hoc sacra-
mentum
vnum sit,
& non
plura.*

EST sacramentum corporis & sanguinis Domini, quo in vita spirituali homo nutritur. Est autem hoc sacramentum non duo, aut plura, etsi diuersis speciebus vini & panis conficiatur, sed vnum: tum propter vnicam significationem, quæ est vnum corpus Christi mysticum, iuxta illud 1. Cor. 10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & calice participamus: tum propter vnitatem ordinis, quia diuersæ species panis & vini ad vnam spirituales refectioem ordinantur. S. Thom. in 3. part. q. 73. art. 2.

De institutione, & necessitate.

SECUNDVM fidem Catholicam firmiter tenendum hoc sacramentum institutum esse à Christo Domino, in vltima, quam cum discipulis habuit in mortali corpore, cœna, vt patet Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. Quomodo hoc Sacramentum conuenienter in vltima cœna institutum sit, S. Thom. in d. q. art. 5. declarat.

Quantum ad necessitatem. Effectus huius sacra-

sacramenti, qui est vt homo efficiatur mem-
brum viuum Christi Ecclesiæ, alijs per chari-
tatem coniunctum, est de necessitate salutis.
S. Thom. d. q. art. 3. Alexand. Halens. 4. part.
q. 43. S. Bonauent. in 4. d. 12. q. 1. & alij DD. in
d. dist. 12.

*Effectus
Euchari-
stia est de
necessitate
salutis.*

Dictus autem Eucharistiæ effectus, potest
haberi per solum propositum percipiendi il-
lud, quod quidem habetur, quando Baptis-
mus absque rei susceptione Eucharistiæ per-
cipitur. Quia volens medium ad aliquem fi-
nem, consequenter vult & finem. Cùm au-
tem Baptismus sit medium disponens ad Eu-
charistiam sumendam, suscipiens Baptismum,
habet ex consequenti, voluntatem interpre-
tatiuam suscipiendi Eucharistiam.

Actu siue realiter sumere Eucharistiam,
non est de necessitate salutis, vt patet de infan-
tibus baptizatis, qui saluantur, etiamsi mori-
antur ante vsum rationis, vt vniuersalis Ec-
clesiæ consensu constat, de qua re August. lib.
1. cap. 22. contra Pelagium.

*Dubium. Cur paruuli per votum interpretatiuum,
Eucharistia effectum percipere possunt,
non autem Baptismi?*

RESPONDEO ex mente S. Thomæ in d.
artic. 3. Quia votum interpretatiuum
habetur in ipsa susceptione alicuius sacramē-
ti, & cùm ante Baptismum nullum sit sacra-
mentum

mentum (quia est omnium sacramentorum
ianua) paruuli non possunt votum interpre-
tatiuum Baptismi, sicut Eucharistiæ habere.

De materia huius Sacramenti.

MA T E R I A sunt panis, & vinum, vt pa-
tet ex locis scripturæ de institutione ci-
tatis.

Panis debet esse triticeus, quia tali pane
usus est Christus in vltima cœna, Concil.
Florentinum sub Eugenio 4. & de consecrat.
d. 2. can. in sacramento, S. Thom. probat.
q. 74. art. 3. Quantum ad vini speciem, de
necessitate requiritur vinum vitis expres-
sum, Concil. Florent. his verbis. Tertium sa-
cramentum est Eucharistia, cuius materia est
panis triticeus, & vinum de vite. Hinc non
conficitur in vuis etiam maturis, nec in aceto,
neque in succo agrestii, nec vino ex alia mate-
ria arte confecto. In musto autem potest fieri
consecratio. c. Omne de consecrat. d. 2. si ne-
cessitas exigat. Decentius tamen est, vt melius
vinum, quod haberi potest, accipiatur. Admi-
scetur autem vino parum aquæ, ex antiquissi-
ma traditione, & præcepto Ecclesiæ, S. Cle-
mens lib. 8. constit. Apostol. cap. 17. D. Cy-
prian. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, Chrysof.
hom. 83. in Matth. Ambros. lib. 4. de sacram.
cap. 4. & lib. 5. cap. 1. Isidor. lib. 1. de offic. diui-
nis cap. 18. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 14. Conc.

Car-

Carthaginen. III. can. 24. & in Concil. Florent. quia ex latere Christi exiuit sanguis & aqua. Aqua tamen non est de necessitate sacramenti, quia ponitur propter significationem, quæ est unio populi Christiani cum Christo. Hoc tamē pro ignaris aduertendum, quod valdè parum aquæ admiscendum, quia si maior pars aquæ quàm vini admisceatur, aqua conuertit in se vinum, & sic non erit consecratio. Si æqualis pars sit aquæ & vini, idem erit periculum, vel ita aqua vinum extenuabit, vt speciem amittat, apponenda ergo aqua in minima & modicissima quantitate. Non est etiam omittenda aqua, quando fortasse in vase permistio facta est, quia in sacrificio celebratur memoria passionis Christi, ex cuius latere fluxit sanguis & aqua. Vide can. In sacramentorum obligationibus, de consecr. dist. 2.

De forma.

FORMA consecrationis corporis Christi est. Hoc est enim corpus meum. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. de consecr. d. 2. c. 1. Qui corpus. & cap. Cùm Marthæ de celebr. missarum.

Forma sanguinis. Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. In hac forma omnia verba dicta sunt de integritate & necessitate præcepti, sed
ad

ad essentiam sacramenti sufficiunt illa. Hic est calix sanguinis mei, vt patet ex forma panis. Ex formis constat, quod materia consecrationis debet esse præsens, morali præsentiā, quando verba consecrationis proferuntur, aliās forma cū sit demonstratiua, esset falsa.

Quid sequitur in consecratione ad prolationem formæ?

VERA conuersio substantiæ panis in corpus Christi, & vini in eius sanguinem, quam conuersionē Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat, quia tota substantia panis & vini, conuertitur in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Vnde sequitur fidei nostræ articulus, quod post consecrationem verè realiter & substantialiter sub speciebus panis & vini, continetur Dominus noster Iesus Christus, verus Deus, atque homo immortalis: De qua re Conc. Trid. sess. 13. à principio.

Notandum tamen in consecratione esse differentiam: Nam prolata forma corporis, ex vi verborum efficitur tantum corpus Christi, sub specie panis: Ex naturali autem concomitantia vt vocant, sequuntur sanguis, anima, & diuinitas Domini nostri Iesu Christi. In prolatione autem formæ sanguinis, ex vi verborum sequitur sanguis sub specie vini. Ex natu-

naturali autem coniunctione, corpus, anima, & diuinitas. Ex quibus sequitur tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraq; contineri. Si quis quærat, quam diu manent, corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini. Respondetur quam diu incorrupta manent accidentia panis & vini. Si igitur tanta mutatio specierum accedat, quæ sufficiens ad panis & vini corruptionem sit, desinunt ibidem esse corpus & sanguis Christi.

Corpus Christi tam diu manet sub speciebus quam diu accidentia incorrupta permanent.

De præparatione & dispositione ad summptionem sacramenti?

PRIMA Conclusio. Certissima fide tenendum, esse necessariam præparationem & dispositionem, ad dignam Eucharistiæ summptionem. 1. Cor. II. probet autem seipsum homo, &c. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini, Concil. Trident. sess. 23. cap. 7. can. qui celebrare.

Secunda Conclusio. Qui alicuius peccati mortalis conscius accedit, mortaliter peccat, si non pœniteat: Quia talis indignè accedit, nec se ipsum probat, nec dijudicat corpus Domini, contra Pauli doctrinam, & Ecclesiæ consuetudinem.

De conf. dist. 2.

Tertia Conclusio. Qui alicuius peccati mortalis conscius, quantumuis sibi contritus videatur, si habita copia confessoris, accedit ad Eucha-

Confessio sacramentalis præ-

*mittenda
communi-
oni.*

Eucharistiæ perceptionem ante sacramenta-
lem confessionem, grauissimè & mortaliter
peccat. Hæc conclusio, tam est vera de Sacer-
dotibus volentibus celebrare, quàm seculari-
bus communionem percipientibus. In hac
conclusionem non potest dubitari. Quia Con-
cil. Trident. determinauit loc. cit. & ibid. can.
11. & antea communior Doctorum opinio
fuit, de qua re legendus Nauarr. de poen. d. 5.
in summa Gloss. 3. à num. 30. & in Manuali
Confess. cap. 21. num. 49. Dominicus Sotus
in 4. sent. d. 12. quæst. 1. artic. 4. & Gloss. com-
muniter recepta in cap. de homine, de celebr.
missarum. Quare nemo decipiatur doctrina
Caiet. in 3. part. S. Thomæ. quæst. 80. art. 4. &
in summa verb. communio, quem videtur se-
qui aurea Armilla in eodem verb. Ante hos
Adrian. in q. 3. de confess. qui citat Richard.
Caiet. doctrinam, videtur apprehendisse, sed
obscurè Panormit. in d. cap. de homine. Hi
omnes docent non esse necessariam actualem
confessionem, sed sufficere contritionem.
Sed horum auctorum opinio, nunc ab vni-
uersa Ecclesia explosa est, in Conc. Trid. Re-
gula ergo generalis in hac materia sit. Quod
vbiunque potest haberi Sacerdos habens iu-
risdictionem audiendi confessiones nullo
modo sine sacramentali confessione ad cele-
brationem, aut communionem acceden-
dum est.

Quarta

Quarta Conclusio. Duabus simul concurrentibus conditionibus, nempe deficiente confessore, & urgente necessitate, potest quis celebrare, aut communicare contritus, sine confessione, sed tunc quam primum debet confiteri. Est Concil. Trid. loc. cit. Soti, Nauarr. & aliorum.

Dicet aliquis; quando erit censenda vrgens necessitas, vt absq; prauia confessione quis possit celebrare, aut communionem sumere?

Q*VINTA Conclusio.* Quando Sacerdos ex officio tenetur celebrare, & non habet copiam confessoris, vtpote cum solus sit in loco longè distanti à curato, nec potest accedere eum pro confessione, potest contritus celebrare, cum proposito quàm primum confitendi. Sotus loc. cit. & Iosephus Angles in floribus. Theologicarum qq. in 4. in q. de suscipiendis Eucharistiam. 3. difficult.

Sexta Conclusio. Quando Sacerdoti existenti in altari in mentem venit aliquod peccatum mortale, quod non confessus est, tunc sola contritio sufficit, verum tenebitur absoluto sacrificio, quàm primum poterit, confiteri, id est, antequam amplius celebret. Nauarr. Sot. & Ioseph. &c.

Septima Conclusio. Idem est iudicium de illo, qui iam venit cum alijs ad communionem, & peccati alicuius non confessi recordatur, dum

dum est inter alios, quod cum decentia & sine scandalo ante communionem nō potest confiteri. Nauarr. Sot. Syluest. in verb. Eucharistia. 2. q. 7.

Octaua conclusio. Ad cuitandum scandalum, potest Sacerdos præuia contritione celebrare, quando deest occasio confitendi.

Nona conclusio. Quando secularis est in articulo mortis, in quo Eucharistiæ susceptio est in præcepto, & non est Sacerdos, qui audiat confessionem, posset contritus communicare, utpote quia Sacerdos esset surdus & mutus, qui adesset. Aut ipsemet Sacerdos esset infirmus, nec haberet alium cui confiteretur, tunc posset seipsum communicare. Sed hic casus rarissimè, ut patet consideranti, occurrit. Quoties enim adest sacerdos, qui laico det communionem in articulo mortis, potest etiam audire confessionem. Quia in mortis articulo, quilibet potest quemcunque à quibuscunque peccatis absolueret.

Dubium. An peccatori petenti Eucharistiam possit, & debeat Sacerdos denegare?

DE hoc dubio, S. Thom. in 3. par. q. 80. art. 6. Alex. Halens. 4. p. q. 48. Bonau. in 4. d. 9. q. vlt. Sotus loco d. art. 6. Nauarr. in Manuali cap. 21. num. 55. & alibi.

Prima conclusio. Quando peccator est manifestus & publicus, & petit communionem, ei de-

ei deneganda est, de consecrat. d. 2. can. pro dilectione, vbi definitur his verbis. Pro dilectione tua consulendum existimasti; quid mihi videatur, de histrionibus & mago illo, qui apud vos constitutus, in artis suæ dedecore perseverat, an talibus sacra communio, cū cæteris Christianis debeat dari, puto nec maiestati diuinæ, neque Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ, tam turpi, & infami contagione scædetur. In hac conclusione omnes conueniunt.

Manifestum, notorium, aut publicum in hoc loco intelligimus, quod tale est per sententiam in iure latam, aut confessionem propriam in iudicio, aut quando delictum est ita publicum ex euidencia rei, vt nulla tergiversatione celari valeat, exempli gratia: meretrix in lupanari, aut concubinarius alit concubina domi, proles generat, &c. ex cap. fin. de cohabitatione cleric. & mulierum: Suspectum autem dicitur, quando infamia est de aliquo crimine, de quo tamen non constat aliquo trium modorum dictorum, cap. tua nos eod. tit.

Secunda conclusio. Post pœnitentiam, & Ecclesiæ reconciliationem etiam publicis peccatoribus, non est deneganda communio, patet ex can. cit. & de consecrat. d. 2. can. penult. & cap. i. de pœnit. & remission. & communi sententia. Hæc pœnitentia tamen debet esse

D publi-

publica, aut populo nota, vt constet de vitæ emendatione & bona conuersatione. Quia vt dicitur in d. ca. 1. de pœnit. & rem. Manifesta peccata, sunt manifesta pœnitentia purganda.

Tertia Conclusio. Quando peccator non est publicus, sed infamatus seu suspectus, si petat cum alijs communicantibus, non est ei communio neganda. cap. Si Sacerdos, de officio iudicis ordinarij, vbi determinatur, nullum esse nominatim arguendum, neque à communione remouendum, nisi iudiciario ordine probari possit. Eadem est ratio, quando crimen est occultum, tunc enim non est peccatori neganda communio, si cum alijs petat, vt DD. sentiunt. Ex his conclusionibus sequitur, iustè Pastorem tempore Paschæ, vel mortis, cum alijs dare Eucharistiam infamatis, aut denunciatis de maleficij & magiæ crimine, etiam si indicijs sufficientibus fuerint mulieres comprehensæ, & carceribus detentæ, atque etiam tortæ, non tamen confessæ, quam in tali casu, necdum crimen est publicum, modo dicto. Quia in re aliquando dubitatum à quibusdam pastoribus fuit.

Quarta Conclusio. Peccatori occulto occultè petenti, est deneganda communio, hæc est cõmunis opinio contra Sotum. Rationem reddit Ioseph. Angles vbi supra art. 4. concl. 4. Quia Sacerdos tunc cooperaretur peccato illicitius, quod sine scandalo prohibere potest.

Dubi-

Dubium hîc. *An corporalis immunditia, scilicet nocturna pollutio susceptionem Eucharistia. impediat?*

PRIMA *Conclusio.* Quando nocturna pollutio est mortalis ex sua causa, impedit communionem fortius, quàm aliud peccatû mortale, hæc est communis sententia S. Tho. q. d. art. 7. Soti loc. cit. art. 7. Gabrielis super canonem missæ lect. 10. & aliorum alibi: Ratio est, quia in tali casu impedit eo modo, quo alia peccata mortalia, & adhuc accedit immunditia corporis, quæ plus aggruat.

Secunda Conclusio. Si aliqua adsit necessitas, præcedente confessione, & cõtritione eadem die, potest quis Eucharistiam sumere, aut celebrare, modo aliud non obstet. Nauarr. in Manuali c. d. nu. 51. Syluest. verb. Eucharistia 3. q. 10. Ioseph. Angles. loc. d. art. 5. & alij alibi. Quia nullum est præceptum diuinum, aut Ecclesiasticum, quo polluti peracta pœnitentia prohibeantur, eadem die Eucharistiam sumere: Necessitas autem intelligitur, quando quis ex officio tenetur celebrare, aut ex statuto vel præcepto cum alijs communicare.

Tertia Conclusio. Congruum & decens est, vt eadem die, qua quis pollutus est, vndecunque fuerit orta pollutio, etiam peracta pœnitentia abstineat, tum propter corporalem sceditatem, quæ semper accidit, tum propter mentis euagationem, quæ non rarò sequitur. Sic DD.

D 2 citati-

citati. Quare Carthusiensium laudabile est institutum, ut polluti, manè non solum non celebrent, sed neque ad gradus altaris accedant. Dicunt autem DD. abstinendum esse post pollutionem à communione 24. horis, idque de consilio, non præcepto.

Quarta Conclusio. Quando pollutio provenit procurante nequitia Dæmonum, ad impediendum hominem à sacra communione, tunc non est abstinendum, sed cum humilitate frequentanda communio. De hoc autem iudicium sumendum hinc, quando nempe quis per turpium phantasmatum immisiones, nullis præcedentibus de similibus actibus cogitationibus, polluitur in festis quando communicandum, aut cum maxima deuotione celebrandum: de his S. Thom. loco cit. & Patres in collationibus collat. 22. cap. 6. & Gabriel super can. missæ lect. 10.

Pro hac materia, nota regulam generalem ex Gabriele in fine lectionis. Pollutus in somno absq; consensu in vigilijs sequente, vel preuio, dum se non sentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum, alijs impedimentis non obstantibus, etiam extra casum necessitatis, aut remouendi scandali, potest sine peccato & meritorie celebrare, dum deuotio trahit, pietas suadet, aut susceptum officium exigit. Ex his deduci etiam potest cum Doctoribus S. Thoma, Gabriele, Soto & alijs, quomodo eadem die actus coniugal

galis præcedens in nocte, impediatur sumptionem sacramenti. Si enim fuit causa generandæ prolis, aut gratia reddendi debitum, non impedit nisi de congruo, sicut dictum est de pollutione sine peccato. Si autem cum culpa mortali fuit coitus, impedit: can. Vir cum propria vxore 33. q. 4. ex B. Gregorio.

Dubium. An hoc sacramentum semper à ieiunio sit sumendum?

PRIMA Conclusio. Qui cibo, aut potu sumpto, siue vt vocant, soluto naturæ ieiunio Eucharistiam sumit, mortaliter peccat. Concil. Constantiens. sess. 13. reijcit errorem contrarium, & habetur etiam in can. Sacramenta de consecr. d. 1. & cap. Ex parte de celebrat. missarum. Quod si autem abluendo os, incautè parum aquæ deglutiatur, non impedit, quia per modum saluæ id factum censetur. Est enim, vt August. dicit in epistola 118. in honorem huius sacramenti, vt scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo aut potu infectum.

Secunda Conclusio. Licitum est infirmo in periculo mortis constituto, Eucharistiam recipere post cibum & potum, ne sine communionem decedat. Quia necessitas legem non habet, ex d. Concil. & can. presbyter d. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne

D 3 sine

fine communionem moriatur. Dubium circa hanc conclusionem esse potest. An durante morbo, pluries quàm semel liceat infirmo nõ ieiuno Eucharistiam offerre? Respondetur, quod non tantum semel, sed pluries, quoties necessarium videbitur, & ex deuotione petierit, vt exempli gratia, si non ieiunus ante hebdomadam communicasset, licet iterum non ieiuno dare, quando ob infirmitatem sine periculo alio die non potest ieiunus communicare. Ratio quia iura Ecclesiastica & DD. exceptionem de infirmo non ieiuno communicando non constringunt vt semel tantum fiat. Sed admittunt vt toties fiat, quoties expedierit: Cum semper habeat rationem viatici. Sic tenent Goffred. & Ioannes Parisien. apud Syluestr. in verb. Eucharistia 3. q. 6. Tabien. in verb. Communicare. §. 48. Aurea Armilla in verb. Communio. num. 18. & post alios Henricus Henriquez Societatis I E S V Salmanticens. Professor. tom. 1. Theologiæ moralis lib. 8. cap. 50. & multi regulares in praxi exercent. Propter reuerentiam tamen sacramenti non decet sic quotidie viaticum sumere.

Dubium. *An non vtentibus vsu rationis Eucharistia sit danda?*

VIDE S. Thom. q. d. art. 9. Alex. Halens. 4. part. q. 49. memb. 4. Sot. in d. q. art. 9. Iosephum Angles loc. cit. art. 7.

Prima

Prima Conclusio. Quando aliquis dicitur a-
mens, quia debilem rationis vsum habet, non
est illi Eucharistia neganda, quia hic tantum
rationis vsum habet, vt possit dijudicare cor-
pus Domini, ab alijs cibis, id est, cognoscere
qua deuotione, & animi præparatione, acce-
dendum sit.

Secunda Conclusio. Amentibus à natiuitate,
nulla ratione est Eucharistia danda, quia nul-
lum habent discretionis vsum, & ei qui annos
discretionis non habet, non est communio
danda: ex cap. Omnis vtriusque sexus. de pœ-
nit. & remiss.

Tertia Conclusio. Phreneticis & amentibus
ex infirmitate, & aliquo accidente, si in fanita-
te constituti petierint, aut signa pœnitentiæ
præbuerint, erit Eucharistia danda. can. Is qui.
26. q. 6. & ratio est, sicut, qui in vigilia petijt
Baptismum, si dormiens baptizetur, recipit
gratiam: ita à simili in hoc casu.

Quarta Conclusio. Paruulis ante vsum ratio-
nis, non est Eucharistia danda, cap. Omnis v-
triusque sexus d. & Conc. Trid. sess. 21. c. 4. &
can. 4. Quia paruuli vsum rationis non ha-
bent, vt possint se probare, & dijudicare cor-
pus Domini. Dices, Quæ ætas requiritur, vt
paruuli possint communicare? Certa regula
ad hoc nulla est, Parentes & confessarij, de-
bent ex conuersatione & moribus dignosce-
re, an possint discernere inter bonum & ma-

D 4 lum,

lum, & dijudicare corpus Domini, quod vt plurimum à 10. anno vsque ad 12. solet accidere. Citius autem pueri obligantur ad confessionem, nempe cum primum nouerint inter honestum & inhonestum distinguere, quod sæpè 7. aut 8. anno contingit.

De modis sumendi hoc sacramentum.

TRES sunt modi sumendi hoc sacramentum, ex Magistro sent. in 4. d. 9. S. Tho. 3. p. q. 60. art. 1. Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. Primus eorum, qui accipiunt sacramentum tantum, vt sunt peccatores, qui indignè manducant, & bibunt.

Secundus aliorum, qui spiritualiter tantum Eucharistiam sumunt, vt sunt ij, qui desiderio & voto, viua fide incensi, panem illum cœlestem prægustant. Tertius est eorum, qui spiritualiter & sacramentaliter percipiunt: id est, qui re ipsa accedunt, ad sacramenti sumpcionem & dispositi effectum sacramenti, scilicet gratiam, & dona gratuita consequuntur.

An præceptum communicandi sit diuinum?

PRIMA *Conclusio.* Præceptum de Eucharistia sumenda est diuinum. Luc. 22. 1. Cor. 11. hoc facite in meam commemorationem, verbum facite, præceptum significat: & Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Se.

Secunda Conclusio. Ex præcepto Ecclesiæ tenetur homo singulis annis, tempore paschatis communicare, si peruenit ad usum rationis ex Concil. Lateranen. & habetur in ca. omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss.

Tertia Conclusio. Præceptum hoc, à Dominica in ramis palmarum, vsque ad dominicam in albis inclusiue, potest adimpleri, secundum Extrauagantem Eugenij IV. quam Caiet. in summa verb. communio citat. Ad satisfaciendum autem huic præcepto in propria Ecclesia communicandum est apud suum pastorem, nisi alibi fiat cum licentia Episcopi, aut pastoris.

Quarta Conclusio. Ex præcepto, etiam homo in mortis periculo, vt verior sententia est, debet communicare, patet ex consuetudine Ecclesiastica à tempore Apostolorum ad nos vsque deriuata, quæ vim legis obtinet, vt constat ex Concil. Nicæno, cuius verba habentur 26. quæst. 6. can. de ijs videlicet, qui decedunt de corpore, vt antiquæ legis regula obseruetur, nempe vt necessario viæ suæ viatico non fraudentur.

De ministro Eucharistiæ.

FIDE tenendum, quod solus Sacerdos secundum ritum Ecclesiæ ordinatus, conficit hoc sacramentum: probatur ex Concil. Lateranen. sub Innocent. III. Cuius determi-

D 5 natio

natio expressa est in cap. Firmiter. §. vna verò, de summa Trinitate & fide Catholica. Item ex Florent. & tandem Trid. sess. 7. cap. 10. De hac re S. Thom. q. 82. in 3. part. Alex. 4. par. q. 35. memb. 4. & Scholastici in 4. d. 13. & Sotus latè ibidem.

Hinc Sacerdotes ritè ordinati, in peccato mortali existentes, si ea, quæ sunt de necessitate sacramenti, seruent, verè conficiunt, & consecrant: contra Walden. hæreticos, Ioan. Wicleff & Hussitas, quorum hæresin confutat Alphons. Castrenf. de hæresib. in verb. potestas, & verb. sacerdotium.

Eadem est ratio de apostatis, hæreticis, schismaticis, imò etiam degradatis sacerdotibus ritè ordinatis, cum character sit indelebilis, si habent intentionem consecrandi, & reliqua necessaria ad essentiam sacramenti, verè conficiunt, vt communis Theologorū Schola tradit, licet magister sentent. in 4. d. 13. & Gloss. in 50. d. cap. accedens, non rectè in hoc videantur sentire.

Dubium hîc esse potest. *An diaconus sacramentum iam à Sacerdote confectum, possit populo, aut alicui infirmo ministrare?*

PRIMA Conclusio. Solus Sacerdos iure diuino est ordinarius minister dispensandi populo Eucharistiam. I. Cor. 4. Sic nos existimethomo, vt ministros Christi & dispensato-

fatores myſteriorum Dei: & Luc. 22. Sacerdotibus dixit. Hoc facite in meã commemorationem: Vide Alenf. 4. part. q. 50. memb. 3. S. Thom. loc. cit. art. 3. Sot. in d. 13. q. 1. art. 3. Ioseph. Angles in florib. in 4. l. par. in q. de ministro Eucharistiæ 6. difficult.

Secunda conclusio. Sanguinem Domini nostri Iesu Christi Sacerdoti celebranti, vel communicantibus ministrare conuenit Diacono, vt patet exemplo B. Laurentij dicentis sancto Sixto, experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.

Tertia conclusio. Ex dispensatione Episcopi, vel curati, in necessitate posset Diaconus Eucharistiam infirmis deferre. S. Tho. Sot. & Ioseph. loc. cit. Si quis dicat tantam esse dignitatem in calice, quanta est in corpore. Si Diaconus ergo ex officio potest ministrare calicem, poterit etiam sine dispensatione distribuere corpus. Negatur consequentia. Quia sanguis continetur in calice, quare non est opus, vt à dispensante tangatur, sicut corpus.

De effectibus & fructibus huius sacramenti.

EFFECTVS Eucharistiæ in ritè & benè dispositis multi, & quasi innumeri sunt. Gratia diuinæ collatio, & augmentum, Excitatio animæ ad deuotionem, charitas Dei & proximi, perceptio cœlestis dulcedinis, odium mun-

mundi, mortificatio propriorum desideriorum secundum carnem, desiderium cœlestiū, perseverantia in bono, remissio culpæ, & etiam pœnæ pro quantitate deuotionis in recipiente, remedium contra omnes tentationes, & in summa, Eucharistia efficit omnes virtutes in anima, quas operantur cibus & potus in corpore. De hac materia, Halens, quæst. 41. membr. 3. S. Thom. loc. cit. q. 79. S. Bonau. in 4. d. 12. art. 3. q. 2. & omnium excellentissimè Gabriel Biel super canonem missæ ad longum. lectione, 85. & 86, pro concione.

CAPVT VII.

DE EVCHARISTIA, VT EST
sacrificium, siue missa.

MISSA nomen hebræum est, latinè oblationem significat. Atq; nomen missæ, sicut etiam res ipsa, antiquissimum est, quamuis hæreticorum nouum inuentum calumnientur. Meminere eius vetustissimi Patres & Martyres Ignatius in epist. 10. ad Smyrnenf. in qua etiam fatetur se Christum post resurrectionem nouisse. Clemens discipulus S. Petri in epist. 3. de officio sacerdotum & clericorum, Alex. primus Papa & Martyr in Epistola ad omnes Orthodoxos. Fœlix. I. Papa & Martyr in epist. 2. ad Episcopos Galliæ, Damasus in epist. 4. S. Ambros. in epist. 32. ad Marcellinam

Soro

Sororem suam. & in epist. lib. 5. epist. 33. Leo magnus in epist. 81. & 88. ad Episcopos Gallia & Germaniæ. Aug. serm. 91. de tempore & serm. 237. & sermon. 251. Gregor. I. epist. lib. 1. epist. 12. & alij alibi.

Multa pro defensione missæ, Doctores controuersiarum pettractant, quæ nostrum institutum non concernunt.

Quid est missæ sacrificium?

EST consecratio, oblatio, & sumptio corporis & sanguinis Christi, in memoriam cruenti sacrificij in cruce peracti.

Quando missæ sacrificium institutum.

Institutum autem est hoc sacrificiû in cœna, quando Saluator dixit, Hoc facite in meam commemorationem, vt sancti Patres tradunt, & tota Ecclesia in Conc. Trid. sess. 22. can. 2. de sacrificio missæ, confirmat.

Non sunt autem omnia quæ in missa peraguntur ex institutione diuina, nam quædam spectant ad solemnitatem & cæremonias, vt varia cantica, & orationes; quæ à summis Ecclesiæ moderatoribus, successione temporum sunt addita. Quædam verò sunt de substantia, & integritate, vt sunt eius partes, consecratio, oblatio & sumptio, & hæ sunt à Christo institutæ.

Quid in missa offertur?

IDIPSVM quod in cruce offerebatur, sed alio modo, id est, idem Christus, qui in cruce offerebatur modo cruento, in missa incruento offertur.

Cur

DE SACRAMENTO

Cur offertur?

AD recolendum Christi passionem, in gratiarum actionem, in satisfactionem pro viuis, & defunctis in purgatorio existentibus, ad impetrandum gratiã, & remissionem peccatorum, atque ad euitandum omnia mala tam præsentis, quàm futuræ vitæ.

Cui offertur?

VN I soli Deo rerum omnium creatori & gubernatori. Vnde Ecclesia, in memoriã & honorem sanctorũ celebrare consuevit: nõ tamen illis sacrificiũ, sed soli Deo, qui sanctorũ æterna gloria coronauit, offerre solet.

An missa oblata pro multis, tantum singulis, ac si pro vno duntaxat offeratur, profit?

ADVERTENDVM, illi pro quibus missa offertur, sunt in duplici differẽtia: Alij sunt, pro quibus ex Ecclesiæ instituto, generaliter offertur sacrificium, vt pro Papa, Rege, Episcopo, Circumstantibus & parochianis. Alij sunt, pro quibus specialissimè offertur, quando Sacerdos nulla ratione obligatus offert, pro sua voluntate & intentione.

Prima Conclusio. Missa quando generaliter ex Ecclesiæ instituto offertur, propter maiorem numerum nemo suo fructu priuatur. Quia generali instituto Ecclesiæ singulis sacrificium applicatur, & vnicuique in suo ordine & gradu. Sic Sotus in 4. d. 13. art. 1. q. 2. & alij alij i.

Secunda Conclusio. Missa dicta aut oblata pro pluribus, non tantum prodest singulis, ac si pro vno solum specialissimè fieret oblatio: Hęc est communior sententia Scot. quodl. 20. Panorm. & Ioan. Andreæ in c. Fraternitatem de sepulturis. Soti lib. 9. de iustitia & iure q. 2. art. 2. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. nu. 92. & alij alibi.

Contrarium tamen tenet Caiet. 2. 2. q. 79. art. 5. & aliqui alij, quorum sententia rejicitur: Ratio conclusionis est, quia cum valor missæ sit finitus, si inter plures diuidatur, minus quilibet percipiet, quam si inter pauciores fiat diuisio. Ex hac conclusione secundum omnes deducitur, quod vna missa, non licet duabus obligationibus satisfacere. Deinde etiã, quod multum in eo consistat, vt Sacerdos celebraturus applicet illi, vel illis intentionem suam, pro quibus vult, aut tenetur celebrare.

In quo loco celebranda Missa?

DE iure communi non licet nisi in loco ab Episcopo consecrato celebrare, aut in loco non sacro, cum altari portatili ex dispensatione sufficienti can. missarum solemniam de consecrat. d. 1.

Quo tempore missa habenda?

Aurora vsque ad meridiem, & si ante meridiem incepta est, perficienda est.
In

In nocte tamen natiuitatis Domini, circa mediam noctem licitum est celebrare.

Potestne aliquis in die plures celebrare missas?

FOELIX ille censendus, qui vnam digni potest in die celebrare. In Natali tamen Domini, quilibet potest tres celebrare, & si id fiat continuè, vel separatim, parum refert. Sunt tamen adhuc alij casus, in quibus licet binare, vt vocant.

Primus. Quando aliqua persona singulari dignitatis venit, vt Episcopus, & vult audire missam.

Secundus. Quando infirmus indiget viatico & non est sacramentum.

Tertius. Quando aliquis habet duas Ecclesias vnitas, quæ indigent duabus missis, & non sufficiunt ad sustentationem duorum sacerdotum, tunc cum licentia Episcopi potest sacerdos binare.

Quartus. Quando iudicio boni & prudentis viri talis causa occurrit, vt necessitas exigat. Alij adhuc ponuntur casus, de quibus, sic de his, vide Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. num. 87. Angelum, Syluest. & alios in summis verb. Missa.

Sed hoc obseruandum pro regula generali. Quando quis duas, in die celebrat missas, aut etiam tres in die Natiuitatis, in vltima tantum debet sumere ablutionem, alias non celebraret ieiunus, contra præceptum Ecclesiæ

De defectibus occurrentibus in missa.

VIDE S. Thom. in 3. par. q. 83. art. vlt. Solum in 4. d. 13. q. 2. art. 6. Angelum, Syluestr. & Auream Armillam in verb. Missa.

Casus primus. Quid dicendum si sacerdos infirmitate, vel alio impedimento incipiat laborare, ita ut non valeat perficere missam incaptam.

Resp. Si fiat ante consecrationem, desistat: Si autem post, missa compleatur per alium Sacerdotem. 7. q. 1. cap. Nihil.

Secundus. Quid si celebrans in missa recordetur se esse in peccato mortali, vel non esse ieiunum?

Resp. Si ante consecrationem sit, & sine scandalo fieri possit, recedat ab altari: Sed si scandalum obsit, aut sit post consecrationem, pœniteat de culpa, & missam perficiat.

Tertius. Quid si aranea, musca, vermis, &c. cadat in calicem?

Resp. Si ante consecrationem, effundat vinum, & aliud imponat addendo parum aquæ. Si post consecrationem, animal capiatur, si ob horrorem sumi nō potest, comburatur, & cineres in sacrarium projiciantur: Sed si veneno inficiatur, fundatur in alium calicem sanguis, & sumatur aliud vinum cum aqua denuò consecrādum, & sanguis veneno infectus exicetur panno, vel stupa, deinde fiat combustio, & cineres in sacrarium reponantur.

E

Quat-

Quartus. Quid si per negligentiam ministri, aut alia ex causa, loco vini infundatur aqua, & id, sumpto corpore, quādo vult sumere calicem animaduertit, vel partem imbibit?

Resp. Secundum S. Thom. tunc alia hostia, & aliud vinum sumendum & consecrandum à principio. Scot. in 4. d. 8. q. 3. ait in tali casu, solum vinum esse accipiendum cum aqua, & incipiendum à consecratione calicis, ab illis verbis, Simili modo, &c. vsque, vnde & memores, & sic alijs omisis dicatur. Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam, &c. & hoc sine turbatione, & scandalo facile fieri posset, ita vt nemo aduerteret. Existimo cum Soto, priuatim esse seruandum modum S. Thom. vbi non timetur scandalum. Aliàs Scoti sententia placet in publico. Si autem post consecrationem animaduertat, non esse aquam appositam, non apponat, cum non sit de necessitate.

Quintus. Quid si ex frigore, aut negligentia, hostia consecrata è manibus in calicem labatur?

Resp. Doleat, & missam profsequatur: Si autem apud populum sit, sic se accommodet in cæremonijs, vt scandalum, quantum fieri potest, euitetur.

Sextus. Quid si sumendo sanguinem remaneat particula in calice?

Resp. Adducat digito ad labium calicis,

sic sumat, antequam vinum apponat. Quod si tamen vinum apponatur & simul sumatur, nulla incurritur culpa, vt Angelus sentit verb. Missa. §. 20.

Septimus. Quid faciendum cum reliquijs hostiæ in patena, post sumptam lotionem ex communione laicorum superfluis?

Resp. Esse sumendas, quia hostiæ & reliquiarum, vna & eadem censetur sumptio. Si autem particula alicuius sit magnitudinis, aut integra hostia, si seruari non possit in sequentem diem, vt cum alia sumatur, & non sit custodia, vt si in campo, in capella longè distante ab hominibus missa celebrata sit, sumatur à sacerdote etiam post lotionem, quia censetur vna perceptio: si autem in loco sit custodia, seruanda est.

Octauus. Quid si sacerdos putat se habere vnam hostiam consecratam, & in sumptione reperit duas esse iunctas?

Resp. Vtramque simul sumendam.

Nonus. Quid si inueniatur fortè hostia in altari, vel parum vini extra calicem hæreat in pede?

Resp. Resolutio pendet ex intentione consecrantis, quæ communiter fertur in hostiam, quam secum defert ad altare, & in vinum, quod in calice est.

Decimus. Quid si vinum in calice congeletur?

Resp.

Resp. Si ante consecrationem, resoluat prius, & deinde consecret: Si autem non resoluat, adhuc conficit, quia vinum liquidum & congelatum non differunt specie. Si autem post consecrationem, etiam resoluat, vt habeat actualem rationem potus.

Vndecimus. Quid si sanguis effundatur?

Resp. Si totus effundatur, ponatur vinum aliud cum aqua, & consecretur, incipiendo à verbo, Simili modo, vt supra ex Scoto. Si pars tantum effusa sit, quod reliquum est, sumatur: Si autem sanguis cecidit super tabulam, lambatur, & tabula radatur, & cineres in sacrarium, vel iuxta altare recondantur: Idem faciendum si super lapidem altaris ceciderit: Si autem sanguis stillauerit, vsq; ad tertium linteum, linteamenta ter abluantur supposito calice, & aqua ablutionis in sacrarium fundatur, & pars linteorum abscindatur, comburatur & cineres in sacrarium ponantur: Si autem ceciderit super corporale, aut vestes sacerdotales, satis erit abluere, & ablutionem in sacrarium fundere. De poena verò effundentis sanguinem statuitur, de consecratione d. 2. can. si quis per negligentiam.

Duodecimus. Quid si hostia, vel aliqua eius pars delabatur in terram?

Resp. Reuerenter subleuetur, & locus in quem cecidit, mundetur & abradatur, puluis in sacrarium projiciatur. Si autem cecidit ex-

tra corporale in mappam altaris, seu linteum aliquod, lauetur, & lotio in sacrarium fundatur.

Decimus tertius. Quid si Sacerdos ex aliqua causa Eucharistiam euomat?

Resp. Si species integræ appareant, reuerenter, nisi horror prohibeat, sumantur: Aliàs cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur; Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium reponantur. De pœnitentia horum, vide de consecrat. d. 2. ca. Si quis.

Decimus quartus. Quid si Sacerdos non recollet se aliqua dixisse, vt quandoq; contingit?

Resp. Secundum S. Thom. in q. 83. art. vlt. ad 5. non debet propter hoc turbari, qua qui multa dicit, non recollet omnia: Si tamen probabiliter constet aliqua omiffa esse, si sunt de necessitate sacramenti, resumenda sunt: Si verò non sunt de forma consecrationis, non debet resumere, mutando ordinem officij, sed procedere secundum ordinem ad finem.

CAPVT VIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE IN GENERE.

PRO introductione notandum, quod poenitentia

*Pœnitentia
dupliciter
accipitur,
pro virtu-
te, & sa-
cramento.*

nitentia duobus modis accipitur, vno modo pro virtute, & sic definitur à Magistr. in 4. d. 14. Pœnitentia est qua commissa mala, cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangēda vltierius committere nolumus. Alio modo pro sacramento pœnitentiæ. Pœnitentia vt est virtus, statim post peccandum Adæ, omnibus hominibus in mortale peccatum lapsis, ad gratiam & iustitiam consequendam, necessaria fuit, vt patet vbique ex sacris literis. Ezech. 18. & 33. & alibi. Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis, &c. Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. Huius tamē virtutis actus, procedit ex auxilio diuino, siue speciali motione Spiritus sancti, vt idem Concil. sess. 6. c. 5. & 6. de iustificatione determinat. Hinc illud Hierem. 31. Conuerte me Domine & conuertar. & Postquam me conuertisti egi pœnitentiam. Nos de pœnitentiæ sacramento agemus.

Quid est sacramentum pœnitentiæ?

EST sacramentum remittendi peccata post Baptismum commissa: Quia pœnitentiā non se extendit ad peccata Baptismum præcedentia: sicut enim Baptismus nondum regeneratis ad salutem necessarius, sic pœnitentiæ sacramentum post Baptismum lapsis, de necessitate, si ad vitam resurgere velint, competit: Quare à Hieronymo recte dicitur

*Super Esa.
3. in illa*

dicitur, secunda post naufragium tabula: vt enim contracta nauis vnicum vitæ seruandæ refugium est, tabulam arripere & transnatare: Ita post perditam per peccatum, Baptismi innocentiam, necessaria est tabula pœnitentiæ, quam nisi quis arripuerit, de salute desperandum est, de pœnit. d. i. can. Secunda tabula, & Conc. Trid. sess. 6. c. 14.

verba, peccatū suum quasi sodoma. Quare pœnitentia dicatur secunda post naufragiū tabula.

De sacramento pœnitentiæ legendi s. Thom. in 3. p. à q. 84. Alex. Halens. in 4. part. à q. 60. Magister in 4. d. 14. cum DD. Ioann. Medina in C. de pœnitentia. Andr. Vega lib. 13. de Iustificatione, & Bellarmin. tom. 2. quarta controuersia generali. lib. 1. & seq. qui doctissimè contra hæreticos hanc materiam disputant.

De necessitate huius sacramenti.

HOc sacramentum non est absolutè necessarium ad salutem, quia per Baptismum multi consequuntur salutem, sed ex suppositione, vniuersis post Baptismum in peccatum mortale lapsis. s. Thom. in d. q. 84. art. 5. Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 5. Bonau. & Richard. in ead. d. & etiam quandoq; in necessitate, quando non habetur copia Confessoris, potest sufficere contritio ad iustificationem, quæ includit votum confitendi & satisfaciendi, iuxta illud, Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

E 4 Quando

Quando institutum est hoc sacramentum?

Ioan. 20.

INSITVTVM est à Christo Salvatore nostro, quādo à mortuis excitatus insufflauit in discipulos, dicens. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. vide Vegam cap. 14.

De materia huius sacramenti.

*Materia
duplex pro
pinqua &
remota.*

ADVERTENDVM quod duplex est materia, Proxima & Remota; sicut statuz materia proxima est metallum, remota terra vel lapilli ex quibus metallum fit, sic peccata commissa sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ, non vt facienda, sed vt destruenda, vt optimè S. Thom. in d. q. art. 2. ait. Quemadmodum morbus materia medicinæ esse dicitur. Quando dicitur peccata commissa, intellige post Baptismum siue mortalia siue venialia sint.

Materia propinqua pœnitentiæ sunt quasi actus pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio, Concil. Florent. & Trident. sess. d. cap. 3. & can. 4. & hi etiam tres actus, rectè pœnitentiæ partes nominantur, quia ex Dei institutione, in pœnitente ad integritatem sacramenti, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem requiruntur, ex dict. ca. 3.

Dices: quare Concilia Florentin. & Trident. actum pœnitentis vocant, quasi materiam, & non absolutè, sine quasi?

R. I.

RESPONDEO id non factum, quia veræ materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, vt aqua in Baptismo, Chrisma in confirmatione, & panis cum vino in Eucharistia.

De forma.

FORMA est (Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Desumitur ex Ioan. 20. Quorum remisistis peccata, &c. Sufficiens forma est) Ego te absoluo, &c. Quibus verbis de more Ecclesiæ sanctæ, preces quædam laudabiles adiunguntur, quæ tamen ad sacramenti essentiam, & administrationem necessariæ non sunt, vt Concil. Trid. in ca. 2. determinat. Manus etiam impositio in absolutione potest adhiberi, vel omitti, pro consuetudine, & vsu Ecclesiæ.

Quis effectus huius sacramenti?

REMISSIO vera peccatorum, reconciliatio cum Deo, infusio gratiæ & virtutum, nec non commutatio pœnæ æternæ in temporalem, & aliquando totius pœnæ remotio.

Quot sunt partes perfecta pœnitentiæ?

TRES, vt ex dictis constat. Contritio, Confessio, & Satisfactio, de quibus nunc secundum ordinem agendum.

CAPVT IX.

DE CONTRITIONE.

Quid est Contritio?

*Quæ inclu-
dantur in
ratione ve-
ræ contri-
tionis.*

EST dolor animæ peccata sua detestantis, & ad meliorem vitam aspirantis, vel vt Concil. Trid. loc. cit. c. 4. definit. Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandide cætero. Ex dictis secundum fidem Catholicam colligitur, perfectam contritionem duo includere, dolorem siue detestationem peccatorû propter Deum summè dilectum & firmum propositum emendationis vitæ, & obseruationis mandatorum Dei. Quæ ad longum pro confirmatione nostræ fidei comprobatur doctissimè Andr. Vega lib. 13. de iustificatione. Retissimè ergo contritio depingitur habere duas facies, sicut antiqui Iano tribuebant. Alteram è parte anteriori, qua præterita respicit peccata, vt doleat & detestetur: aliam è fronte, qua prospicit in futurum proponendo vitare omnia, quæ diuinam lædere possunt maiestatem.

Ex definitionibus prædictis, & alijs infero in primis, non esse contritum eum, qui auctu, vel virtute non est eo animo, vt malit in genere quamlibet poenam pati, quam mortali-
liter

liter peccare & Deum offendere iuxta doctrinam S. Thom. quodlib. 1. art. 9. & Nauarr. in Manuali cap. 1. de contritione num. 17. Quia omnis qui contritus est, habet charitatem, & omnis qui Charitatem habet, Deum plusquam se amat, & omnis qui Deum plusquam se, & sua amat, mauult perdere se, & sua, quam Deum: cum ergo per peccatum mortale perdat datur Deus, sequitur quod contritus non est, qui non est eo animo, quod malit pati omnia mala, quam peccato mortali Deum offendere. Deinde deduco in deplorando esse statu eos, qui ad confessionem accedunt cum proposito, se vindicandi propria auctoritate, contra inimicum data opportunitate: aut tenentes alienum contra iustitiam, ne minimum quidem cogitantes de restitutione, quales plurimi hoc seculo sunt, qui restitutionis obligationem fabulam arbitrantur, vt opere declarant. His similes sunt, qui ad sacramenta accedunt non deferentes proximas, & morales occasiones peccatorum, nec remouentes, vt sunt concubinarij, qui concubinas domi alunt, & retinent, accedentes ad confessionem & communionem sine scrupulo.

Similibus adiungi possunt, qui exercent artes vetitas, & negotia, in quibus moraliter loquendo, statum peccati exuere nequeunt.

Dubi

Dubium. *An dolor contritionis debeat esse propter Deum offensum?*

PRIMA *Conclusio.* Qui principaliter dolet de peccatis propter gehennæ timorem, aut metum temporalis pœnæ, aut infamiæ, remissionem peccatorum non consequitur, nec est contritus. Patet exemplo Saulis, Antiochi, Iudæ & aliorum, quibus pœnitentia nihil profuit, cap. Iudas, & cap. Scelerator. d. 3. S. Thom. 3. part. q. 86. art. 1. ad 1. & in 4. d. 17. q. 2. art. 3. q. 1. ad 4. Nauarr. loc. d. num. 7. & hæc est communis opinio, & constat, quia talis contritio siue dolor, ortum habet ab amore proprio, qui Babylonis, & non Dei ciuitatem ædificat, vt docet August. 14. de ciuit. cap. 28.

Secunda conclusio. Contritio debet esse dolor ex dilectione Dei procedens, id est, principaliter propter Dei offensam: dictum principaliter, quia ex occasione, & minus principaliter, potest originem sumere contritio ex alijs, vt ex consequentibus patebit. *Conclusio* constat ex prima, ex concil. Trident. sess. 6. cap. 6. dum ait. Illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, & propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem, &c. Patet etiam conclusio, ex differentia contritionis & attritionis. Vide Vegam cap. 25. propositione 5.

Tertia Conclusio. Vera pœnitentia non solum ex dilectione Dei, sed etiam ex timore gehennæ

gehennę, spe glorię, & fide profluit, ex d. Concilio loco cit.

Quę est differentia inter contritionem, & attritionem?

DE hac materia, vide Sotum in 4. d. 17. q. 2. art. 5. Prima differentia, Contritio est dolor de peccatis propter Deum summę dilectum, vt omnes fatentur. Attritio est dolor de peccatis, quia pœnam æternam, vel temporalem meretur, vel quia causa perdendi honorem, amicitiam alicuius, vel aliud bonum temporale; quia peccatum ob multos fines odio haberi potest.

Secunda. Ex parte causę, Contritio oritur ex timore filiali: Attritio ex seruili.

Tertia. Contritio nunquam est sine charitate & gratia. Sed attritio potest esse sine his, cum auxilio speciali.

Quarta. Contritio si habeat explicitę, vel implicitę votum confitendi, & satisfaciendi, constituit hominem in gratia. Attritio verò sine pœnitentię sacramento actu suscepto, non potest hominem ad iustificationem perducere: Quamuis eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentię impetrandam, disponat.

Dices. *Quę est illa salutaris attritio, virtute cuius, accedente sacramento, homo ex attrito fit contritus,*

secundum probatam Doctorum sententiam, & Concil. Trident.

SIC

Sic describi potest, ex d. Concil. sess. 14. cap. 4. Est dolor minus perfectus, ex turpitudinis peccati cōsideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter conceptus, voluntatem excludens peccandi, cum spe veniæ. Attritio sic descripta, est donum Dei, & Spiritus sancti impulsus, adhuc quidem non inhabitantis, sed tantum mouentis.

Est adhuc alia attritio, quando homo dolet de peccato ob damnatum temporale, infamiam, & similes fines, sed hic dolor non est attritio salutaris. Ex dictis facilè etiam resolui possit, an idem actus attritionis possit fieri contritio: Nam virtute sacramenti attritio potest fieri contritio, quod multò rectius intelligitur secundum illorum Doctorum sententiam, qui tradunt attritionem & contritionem non differre, nisi penes intensum & remissum, ita, vt idem actus numero remissus sit attritio, intensior factus, contritio reddatur, cui sententiæ applaudere videtur Concil. Trid. cum attritionem vocat contritionem imperfectum.

De magnitudine, & quantitate contritionis.

CERTVM est, cum contritio originem ducat ex amore & charitate Dei, quod tantus debeat esse dolor de peccatis, quantus amor Dei, atque eam ob causam summus & maxi-

maximus omnium aliorum dolorum: Sicut ergo Deus diligendus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. Ita peccata detestanda super omnia alia mala, & hoc est, quod in Deut. 4. dicitur filijs Israel. Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Non autem requiritur, vt contritio sit maxima quoad intensiorem, sed tantum appretiatiuè, vt Doctores loquuntur. Nauarr. loc. cit. num. 4. Sot. in 4. d. 17. art. 4. Ioseph. Angles in 4. par. in q. de contritione, art. 3. Verga lib. 13. cap. 25. propos. 3. & alij alibi. Appretiatiuè autè nihil aliud est, quàm comparatiuè ad alias creaturas in hunc sensum, quod quando homo dolet & conteritur de peccato, vt tali sit animo, quod mallet perpeti omnia mala huius mundi, quam Deum offendere, aut offendisse mortali culpa, & vt ita odio prosequatur malum culpæ, plusquam omnia mala, quæ sunt odio habenda, & sic etiam intelligendum quod dilectio Dei, debeat esse maxima appretiatiuè, id est, quod præferenda sit omni dilectioni cuiuscunque creaturæ, nec propter quamcunq; rem creatam Deus deferatur. Dolor, qui resultat in parte sensitua, non debet necessariò esse maximus intensiuè, imò aliquando potest modum excedere.

DE

An homo statim post peccatum, & quando ad contritionem obligetur?

PRIMA *Conclusio.* Optimum & salutare con-
filiū est, vt homo statim peccato commissi-
de eo conteratur, probatur Ecclesiastici 5. Ne
tardes conuerti ad Dominum, nec differas de
die in diem. & cap. 21. Quasi à facie colubri fu-
ge peccatum, Nauarr. de contrit. num. 27.
Thom. in 4. d. 17. Caiet. in q. 7.

Secunda conclusio. Statim post commissum
peccatum, homo non tenetur sub præcepto
pœnitere, ita vt si omittat, de nouo peccet, vt
Doctores citati docent. Quia hoc præceptum
est affirmatiuum, sicut etiam confessionis, non
ergo obligat pro semper, vt scholæ loquuntur,
sed statuto tempore. Sicut ergo homo non
statim quando peccauit, tenetur confiteri, sed
nec etiam pœnitere.

Tertia Conclusio. Præceptum contritionis
statim post commissum peccatum obligat
quantum ad actum contrarium de non com-
placendo in peccato, ita quod homo non pos-
sit habere complacentiam in peccato. Ratio
est, quia omne præceptum affirmatiuum in-
cludit negatiuum, de actu contrario obligant
pro semper, verbi gratia: Præceptum de hono-
nore parentum, includit hoc negatiuum

vt nunquam facto, & verbo parentes inhonorentur.

Quarta Conclusio. Præceptum contritionis obligat in periculo mortis naturalis, & violentæ. Quia sicut vnusquisque tenetur corpori subuenire, ne pereat: Sic etiam anime, per poenitentiam, ne damnetur, alias agit contra caritatem, quæ à se ipso incipit.

Quinta Conclusio. Etsi salutaris doctrina sit, contritionis actum elicere diebus festis, nemo tamen ad id tenetur præcepto, est contra Scot. & Gabrielem in 3. sentent. d. 27. & Angelum verb. Feriæ, §. 4. Conclusionem verò tenent communiter Doctores, Caiet. & aurea Armilla verb. Contritio. Sotus q. d. art. 6. Iosephus in art. 5. difficult. 4. & alij communiter. Ratio est, quia præcepto de colendo Sabbathum, solum præcipitur quies ab operibus seruilibus corporalibus, & non à spiritualibus, qualia sunt peccata. Quare alibi dicemus, circumstantiam sacri temporis non esse de necessitate in confessione aperiendam.

Sexta Conclusio. Homo tenetur ad contritionem, quando est aliquod sacramentum suscepturus, aut administraturus, constat ex dictis de sacramentis in communi: Qui enim indignè sacramentum suscipit, aut administrat, sacrilegium committit, ergo tenetur se constituere in statum gratiæ, quod nequaquã fit sine contritione. De hac materia ad lon-

F. gum

gum docet Nauarr. in principio d. 5. de pœnitentia in tertiam partem Glossæ à num. 28.

Addit Nauarr. in Manuali confess. cap. 1. de contrit. num. 27. cum Adriano in 4. de confess. quæst. 3. etiam ex præcepto fore elicendam contritionem, instanti aliqua grandi necessitate populi, cui absque orationis feruore prouideri non possit.

An de singulis peccatis mortalibus, singulis sit necessaria Contritio?

DE hac materia, duæ sunt contrariæ opiniones Doctorum. Prima, quod de singulis peccatis mortalibus, singulæ debeant esse detestationes, & actus contritionis, ita vnicuique peccato respondeat sua detestatio. Huius opinionis celebres sunt auctores, Alexand. Halens. in 4. part. q. 69. memb. 8. art. 2. in 3. part. q. 82. art. 1. Richard. & Durand. in 4. d. 17. Angelus in verb. Contritio, & alij alibi.

In contrarium sunt alij, docentes sufficere vt homo conteratur in genere de omnibus peccatis vna contritione, quæ extendatur ad vniuersa mortalia, quorum meminit, vel non meminit. Caietan. in locum S. Thom. q. 82. art. 1. in opusc. tom. 1. opusc. 4. quæst. 2. de contrit. Ioan. Maior. in 4. d. 17. q. 5. Nauarr. in Manuali confess. loc. cit. num. 22. Ioseph. Angles in q. de contrit. art. 2. difficultat. 6. Petrus à Soto

de institut. Sacerdotum lect. 13. de sacramen-
to pœnitentiæ, & Vega vbi supra propo-
sition. 7. & 8.

Prima Conclusio. Quando confessio institu-
enda, recogitanda sunt, & retractanda omnia
peccata cum dolore, & displicentia. Esaia 38.
Recogitabo tibi omnes annos meos, in ama-
ritudine animæ meæ: in hac conclusione non
est controuersia.

Secunda Conclusio. Quantum ad rationem
contritionis, quando homo non est subitu-
rus sacramentum confessionis, contritio ge-
neralis sufficit ad salutem, quando se extendit
ad omnia commissa peccata mortalia, in hunc
sensum, vt nullum sit peccatum cuius si re-
cordaretur, non pœniteret, vel ita, vt deteste-
tur omnia peccata contra Deum commissa,
ita vt nullum sibi placeat.

Certissimum est, si homini vnum pecca-
tum mortale placeat, de quo non habeat con-
tritionem, etiam si reliqua detestaretur, non
iustificaretur. Impium enim est à Deo dimi-
diam sperare salutem, & qui sibi vnum pec-
catum reseruat, non conuertitur ad Deum
toto corde & perfecto, sed sibi adhuc re-
tinet amorem illicitum in corde,
contra sacras literas.

Quis modus acquirendi contritionem?

QVI vult verè & ritè pœnitere, sibi persuadeat, opus esse maximè necessarium, & difficile, nec possibile sine misericordia, & gratia Dei, cui potius innitendum, quam imbecillitati humanæ, quare ante omnia humili, instantique oratione à Deo postulet gratiam pœnitendi & conterendi, exemplo illius qui dicebat: *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Deus meus.* & iterum: *Postquam me conuertisti egi pœnitentiam.* Deinde paranda est per viam, quam proponit Concil. Trident. sess. 14. can. 5. de sacramento pœnitentiæ, nempe per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, recogitando annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinē, œditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cū proposito melioris vitæ: Pro concione si quis velit videre, ad hunc effectum legat Petrum à Soto lect. 17. ubi proponit quæ populo proponenda sint in hac materia. & Ludouicum Granatens. de pœnit. conc. 2. de vera & falsa pœnitentia.

CAPVT X.

*DE CONFessione, SECVNDUM
a parte pœnitentiæ.*

DE confessione agunt latissimè Sotus in 4.
d. 18.

d. 18. Ioan. Medina in C. de pœnit. tract. 2. Ve-
galib. 13. de iustificatione à 27. cap. Iosephus
Angles in 4. in tract. de pœnit. d. q. 3. Nauarr.
in Manuali cap. 2. & de pœnit. d. 5. cap. confi-
deret. & d. 6. c. 1. Summistæ in verb. Confessio.

Quid est Confessio?

EST peccatoris accusatio secreta, de suis
peccatis coram Sacerdote proprio, vt ab
ijs sacramentaliter absoluitur.

Quando instituta est?

CONFESSIO, quæ iure diuino, omni-
bus post Baptismum lapsis in mortale cri-
men necessaria est, instituta fuit Ioan. 20. Quã-
do dixit, accipite Spiritum sanctum, &c. &
Matt. 16. & 18. Quodcunque solueritis super
terram, ex Concil. Trident. sess. 14. de confess.
Quando dicitur confessio esse necessaria post
Baptismum omnibus ad salutem, intellige in
re, si adest confitendi facultas: Sin minus, in
voto.

*Quando
confessio
instituta.*

Quando quis tenetur ad confessionem?

EX præcepto Ecclesiæ, quæ ius diuinum
determinauit ad tempus, quilibet fidelis
habens vsum rationis, tenetur semel in anno,
suo proprio Sacerdoti, vel cum eius licentia
alteri probato confiteri. ex cap. Omnis vtrius-
que sexus, de pœnit. & remiss.

Per proprium Sacerdotem, intelliguntur

F 3 Pon-

Pontifex, Episcopus proprius, Parochus sive Pastor, & si qui sint alij, qui ab his habent commissionem, aut priuilegium. Pontifex est Pastor in vniuersa Ecclesia. Episcopus in sua diocœsi, Parochus in sua parochia: Si autem quis ob causam rationabilem, non velit proprio Sacerdoti confiteri, debet petere licentiam vel alteri confiteatur: in qua concedenda proprius Pastor nõ debet se difficilem præbere. Hoc præceptum autem de annua confessione, non obligat præcisè in quadragesima, sed potest quolibet anni tempore impleri, vt patet ex dicto cap. Omnis vtriusque.

Confitentur autem Christiani communiter, instante paschate, quia tum obligat, vt ex superioribus constat, præceptum de communionem, quam præcedit Confessio. Pueri autem tenentur confiteri, quàm primum discernuntur inter bonum & malum. Vnde citius tenentur ad confessionem, quàm ad communionem. De ætate & obligatione, consideratis circumstantijs parentes, & parochi iudicent.

Tenetur ne homo in alijs casibus ad confessionem?

QVATVOR adhuc casus à Doctoribus adferuntur, in quibus tenetur aliquis ad confessionem.

Primus. In probabili periculo mortis. Si autem

tem aliquis ita infirmus sit, vt nullum peccatum distinctum confiteri valeat, non est absolue-ndus, quoniam non est materia confessionis. Optimum autem consilium est secundum aliquos, vt Sacerdos tunc, aliquod singulare peccatum circa statum ægroti exquisat, illum interrogando, etsi pœnitens signo vel facto illud expresserit, poterit tunc illum ab omnibus peccatis sacramentaliter absolueret. Ex hoc capite etiam tenetur reus morti adiudicatus ante executionem confiteri vt communiter DD. fatentur.

Secundus. Quando est sumendum sacramentum Eucharistiæ, & homo habet conscientiam peccati mortalis, vt supra dictum.

Tertius. Quando est opportunitas confitendi, & est probabile, quod quando tenebitur ex præcepto, non erit facultas.

Quartus. Quando quis habet conscientiam, quod teneatur ad confessionem.

Quot sunt conditiones sacramentalis confessionis.

DECEM & sex, sequentibus versibus comprehensæ.

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.*

HÆ omnes conditiones sunt de perfectione confessionis, non tamen de necessitate. Sunt autem hæ tres de necessitate, lachrymabilis, id est, vt sit cum contritione, vel saltem attritione illa salutari, vt sacramentum ex attrito faciat contritum. Integra, & secreta. De priori constat ex superioribus, nunc de integritate, & secreto Confessionis agendum.

De integritate Confessionis.

IN sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium est iure diuino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria post debitam, & diligentem præmeditationem haberi potest, etiam occultissima, quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati mutant speciem, Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7.

An omnia peccata, quantum ad numerum sint confitenda?

PRIMA Conclusio. Iure diuino homo tenetur etiam numerum peccatorum mortalium, quorum memoriam habet, confiteri, Concil. Florentinum, his verbis. Secunda pars pœnitentiæ sacramenti est, hominis confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia sua peccata, quorum habet memoriam integraliter confiteatur. Requiritur ergo etiam iure diuino, ante confessionem examen & inquisitione,

fitio, vt homo memor esse possit peccatorum in confessione. Debet autem homo in hoc negotio tantum diligentia, & temporis impendere, quantum vir bonus & prudens, in re magni momenti, solet collocare.

Secunda Conclusio. Peccatis in memoriam reuocatis, tenetur pœnitens singula singulatim, quando sunt diuersæ speciei confiteri. Quia in cap. Omnis vtriusque sexus, & in Cōcilio Florentino dicitur, peccator confiteatur omnia, id est singula peccata singulatim. Quando autem sunt eiusdem speciei, potest pœnitens vnico actu plura cōfiteri, exempli gratia, confiteor me decies blasphemasse, aut sexies neglexisse sacrum die Dominico. &c.

Tertia Conclusio. Quando pœnitens non est certus de numero peccatorum, satis est, vt probabilem numerum explicet, vt exempli gratia, dicat decies, plus minusue non ieiunavi in Quadragesima.

Quarta Conclusio. Quando aliquis longo tempore perseuerauerit in statu alicuius peccati, & toties illud frequentauit, quod difficilimum, imò moraliter loquendo, quasi impossibile sit, numerum peccatorum memoria tenere, tunc sufficit indicare tempus, conditionem, & propensionem animi in tali peccato, exempli gratia, Meretrix integro anno fuit in loco publico eius voluntatis, vt omnibus cupientibus, faceret copiam sui corporis

F s pro

pro pecunia, post annum pœnitentia ducitur
& confitetur, non tenetur dicere numerum
suorum peccatorum, peccati luxuriæ in spe-
cie, sed sufficit statum tanti temoris aperire.
Simile est iudicium in similibus.

*Quomodo confitendi actus preparatorij, siue praedi-
cantes, quæ sunt via ad vnum peccatum
perpetrandum?*

EXEMPLI gratia, aliquis vult fornicari
mittit literas, & munuscula, exercet or-
gula, & tactus impudicos, tandem fornicatur.
Si hi actus dirigantur ad fornicationem, &
continuentur, sunt confitendi nomine forni-
cationis, quia vnicum efficiunt peccatum cõ-
pletum. Ad verò, si interrumpantur per actus
pœnitentiæ, toties augetur numerus pecca-
torum, quoties huiusmodi actus renouantur.
v. g. Aliquis habet animum fornicandi, non
habet statim occasionem, mutat propositum
& redit ad mentem, post horam recurrit dele-
ctatio, iterum intendit fornicari, & mittit ad
eum effectum munera, iterum oblato impe-
dimento reuocat se ad mentem, &c. tot sunt
peccata distincta, quod actus distincti & inter-
rupti, per pœnitentiam.

De confessione circumstantiarum.

VIDE Nauar. in Manuali confessoriorum
cap. 6. & de pœnit. d. 5. cap. Consideret

in principio. Dom. Sotum in 4. d. 18. q. 2. art. 4. & alios supra, vt de confess.

De numero, diuisione, & distinctione circumstantiarum, dicetur infra in proprio loco. 2. part. tractat. cap. 3. Nunc breuiter adferenda, quæ huic loco conueniunt.

Prima Conclusio. Circumstantiæ quæ speciem mutant, de necessitate, in confessione sunt aperienda, vt supra ex Concil. Trident. declaratum. Hæ autem mutant speciem, quæ specialem habent repugnantiam cum ratione, aut diuersis, specialibusque præceptis prohibentur.

Secunda conclusio. Circumstantia loci sacri mutat speciem, quando aliquis in loco sacro furatur, aut fornicatur, aut cum iniuria sanguinem humanum effundit, aut aliquem contra immunitatem Ecclesiasticam, cum violentia è loco sacro rapit. Quia in his casibus sunt præcepta iuris canonici, quæ prohibent talia fieri.

Tertia Conclusio. Circumstantiæ etiam in eadem specie, quando multum aggrauant sunt aperienda, vt quorundam DD. opinio est.

Quarta Conclusio. Circumstantias diei festi, aut ieiunij, aut orationis, etsi laudabile sit confiteri, non est tamen de necessitate, nisi quis in contemptum festi peccet.

Quinta Conclusio. Circumstantiæ personis communes, quæ augent peccatum in eadem specie,

specie, v.g. si bonus aut malus, senex aut iuuenis, superior aut inferior, &c. peccet, non sunt de necessitate confitendæ, nisi scandalum vel alia circumstantia accedat: Si verò circumstantiæ sint particulares, personis, vt rationis, status, aut voti, aut consecrationis, tunc sunt de necessitate confessionis, quia mutant speciem, vt si religiosus fornicetur aut furetur, quia si religiosus fornicetur transit peccatum in speciem sacrilegij, & etiam peccat aliàs contra votum: Eadem est ratio, de furto religiosi non enim solum peccat contra præceptum. Non furaberis, sed etiam contra votum paupertatis: Eadem est ratio, quando peccatum mutat speciem, ratione personarum in quibus peccatum committitur, vt si quis violet virginem Deo consecratam, &c. aut etiam ratione rerum quæ tractantur, vt si quis rem sacram accipiat, è loco priuato, & fit sacrilegium, & tunc confitendum, non tanquam simplex furtum, sed vt sacrilegium.

Sexta Conclusio. Circumstantia finis, quando est prohibita alia lege speciali, ab actu principali, est aperienda in confessione, quia trahit ad aliud peccatum, vt si quis furetur ad mæchandam non tam fur quam mæchus dicitur.

An circumstantia stupri necessario sit aperienda in confessione?

VT quando virgo peccauit, quæ adhuc integram

tegram habuit virginitatem, vel alius virginitatem in virgine violauit, an circumstātia virginitatis læsæ sit confitenda, tam in peccato cogitationis, quàm exterioris actus.

Respondetur, quamuis aliqui negent, tutius fore cum alijs confiteri, tam in actu cogitationis, quam peccati in opere, maximè quando confessarius non nouit statum sceminae, quia est circumstantia, quæ notabiliter, aggrauat luxuriæ peccatum.

An liceat dimidiare confessionem, id est, diuidere, ita vt vni Sacerdoti quadam, alteri reliqua confiteatur?

RESPONDETUR, quantum est ex natura confessionis, omnia peccata cum suis circumstantiis, sunt eidem Sacerdoti confitenda: Aliter si fiat, confessio est dimidiata, & non valet, constat ex cap. Consideret. §. Cautus, de pœnitent. d. 5. Cautus, inquit, sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa, velit diuersis Sacerdotibus manifestare: Quædam enim vni cælat, quæ alijs manifestanda referuat, quod est se laudare, & ad hypocrisin tendere, & semper venia carere, ad quam per frustra totam putat peruenire, hæc ex can. Hæc est etiam communis DD. sententia, S. Thomæ in 4. d. 17. quæst. 3. art. 4. Durand. d. 16. Palud. & aliorum in d. 21. Sot. d. 18. quæst. 2. art. 5. Nauarr. in d. 20 §.

cto §. Cautus, & alibi aliorum. Dictum est de natura confessionis, quod alij dicunt per se. Per se autem dicitur dimidiata, quando ex intentione diuiditur nulla legitima vrgenti causa. Si autem ex legitima causa diuidatur, per accidens dicitur fieri.

Quibus igitur ex causis confessio potest diuidi?

DE hoc dubio, vide Nauarr. in d. cap. Consideret in principio à num. 95. & in Manuali confess. capit. 9. num. 15. & 16. Ioan. Medina in C. de pœnit. tract. 2. quæst. 10. Scutum loc. cit. Caietan. in summa verb. Confessio, conditione 10. Ioseph. Angles in quæst. de confessione, septima difficul. art. 4. Petrus à Soto de institut. sacerdotum de Confessione lect. 10. Ante resolutionem, in hac materia nota, quatuor à pœnitente possunt timeri, vt reuelatio certi peccati, vel ruina confessionis vt si puella taceat turpes cogitationes, ne præbeat Sacerdoti ansam illam sollicitandi, factæ legij occasionem: vel mors aliena, vt si pœnitens accessit ad fororem, Confessoris pœnitentis consanguineam, ex cuius circumstantiæ confessione timet, ne soror dicta agnoscat, & interficiatur: vel quarto infamia participantis in peccato, vt si pœnitens accessit ad sororem propriam confessori notam.

Prima Conclusio. Quæcunque circumstantia, & quodcunque peccatum aperiendum in

confessione confessario est, quando is persona est, quæ proderit & non oberit. In hoc conueniunt DD. vt Nauarr. in dicto cap. Consideret, num. 96. in principio testatur. Intelligenda Concluf. de circumstantia necessaria.

Secunda Conclusio. Quando confessarius nõ est talis persona, pœnitens potest ei confiteri velatus & transformatus, ita, vt eum nullatenus agnoscere valeat, nec est opus nomen, & domicilium nominare, modo Confessario insinuet, quod ipsum possit absolueri.

Tertia Conclusio. Si huic remedio locus non est, quærendus est alius confessarius petita facultate à proprio Pastore, vel eius superiore, qui non debet esse difficilis in concedenda licentia.

Quarta Conclusio. Quando nulli horum remediorum locus est, vtpote quia solum est vnicus Pastor præmanibus, nec potest adiri alius, aut proprius non vult dare licentiam, si tunc temporis cõfessio sit sub præcepto, & timetur reuelatio, vel mors propria, aut alterius, pœnitens tenetur tale peccatum, aut circumstantiam celare. Quia concurrentibus in casu duobus præceptis, fortius, strictius ligat, quando vtrumq; simul seruari non potest: Sed præceptum de vitando in alio peccatum, est naturale & diuinum: de integritate autem cõfessionis, est diuinum tantum, ergo prius fortius ligat, & posterioris obligatio cessat.

Ea.

Eadem est ratio, quando verisimiliter timetur Confessarij ruina, aut magna partem tantis, quem Confessarius nouit, in peccato infamia, quicquid quidam dicant, quia eadem ratio supra posita hic etiam militat, ergo idem ius censendum est, & quæ pro charitate instituta sunt, secundum S. Bernardi doctrinam, contra charitatem militare non debent.

In casibus superioribus, quando pœnitentia iusta de causa aliquod peccatum celat, tenetur illud, quam primum commodè potest, confiteri, quando talis causa cessat. Quia in talibus casibus ratione talis peccati, censetur non habere copiam confessarij, ergo facta, ei copiam tenetur confiteri.

Quomodo integritas confessionis seruetur, quando est casus reseruatus, à quo inferior non potest absolui, & superior non consueuit aut non vult audire omnia?

TRIBVS modis potest aliquis confiteri tali casu. *Primo*, vt confiteatur superiori reseruata peccata, & ab eo absoluat, ab eo Deinde inferiorem accedat, & confiteatur reliqua & absoluat. *Secundo*, vt inferior obtineat potestatem à superiori absoluendi à reseruato, & hic est optimus modus. *Tertio*, vt confiteatur omnia peccata vni confessario, & ab inferiori absoluat à non reseruatis, & superiori à reseruatis.

An pœnitentem ex ignorantia præmittentem aliquod peccatum, Confessarius illud sciens teneatur instruere, vt pœniteat & confiteatur?

VIDE Sotum d. 18. q. 2. art. 4. & Iosephum Angles in q. de confess. art. 4. 8. difficult. & Petrum à Soto de institut. sacerdotum, de integritate confess. lect. 10. prope finem.

Quando ignorantia est iuris, quod omnes tenentur scire, siue diuini, siue humani vel facti. Sacerdos tenetur pœnitentem instruere, siue profit, siue obsit: Quia omnis talis ignorantia, cum sit culpabilis, peccatum est. Si autem ignorantia sit eorum, quæ non omnes scire tenentur: si sacerdos viderit quod prodesse possit, sine graui scandalo, tenetur pœnitentem instruere. Si autem videt, quod nihil proderit, aut graue sequitur scandalum, debet dissimulare & tacere: Si pœnitens ratione fortasse scrupuli confitetur, aut inquit, Sacerdos, tenetur veritatem manifestare: Quia sicut non est licitum pœnitenti in confessione mentiri, sic nec etiam Confessario: nam à tam sanctissimo iudicio longè abesse debet mendacium.

Quid si quis facta debita diligentia confiteatur, & post confessionem oblitus est alicuius peccati mortalis?

G

R E -

RESPON. Si tale peccatum incidat ante communionem, debet confiteri eidem confessario, vel alteri: Si post, potest statim confiteri si vult: aut differre ad confessionem sequentem.

Quid faciendum ei, qui confessionem fecit nullam, scienter reticendo aliquod peccatum mortale, debet ne omnia peccata iterum de nouo confiteri?

RESPOND. Aut confitetur eidem Sacerdoti, aut alteri. Si confitetur eidem, confessarius adhuc habet memoriam peccatorum, vel saltem recordatur pœnitentiæ iniunctæ, non tenetur ex integro repetere, sed sufficit dicere. Dico meam culpam de omnibus meis peccatis tunc confessis, & deinde confiteatur peccatum omissum, adiuncto eo quod confessionem irritam fecit, & obicem sacramento posuit. Si autem alteri Sacerdoti confitetur, debet de nouo ex integro omnia repetere.

De sigillo siue secreto confessionis.

DE hac materia lege Nauarr. in Manuali confess. c. 8. & de pœnit. d. 6. c. Sacerdos num. 33. ad longum. Dom. Sotum vbi supra art. 6. Petrum à Soto loc. cit. lect. 11. Ioan. à Medina à q. 45. & alios in 4. d. 21.

Sigillum confessionis nihil est aliud, quam obli-

obligatio celandi ea, quæ in confessione sacramentali dicuntur. Sumpta est metaphora, à sigillo literarum, quo signamus ea, quæ occulta & secreta esse volumus. *Quid sit sigillū confessionis.*

Obligatio seruandi secretum confessionis, est ex iure diuino, & sequitur præceptum confessionis. Quia qui instituit aliquid, omnia illa censetur instituisse, sine quibus illud consistere nequit. Impossibile autem foret, conseruare confessionis sacramentum, si peccata nõ clauderentur & celarentur sigillo, quia res foret exosa confessio, ergo qui instituit confessionem, simul etiam sigillum coniunxit. Hinc deducitur, quod nec summus Pontifex, nec vlla sit potestas in terris, quæ alicui præcipere possit, vt confessionem reuelet.

Quæ comprehenduntur sub sigillo confessionis?

RESPOND. Omnia peccata, siue mortalia, siue venialia, Circumstantiæ peccatorum, Persona, si quæ nominetur tanquam participes peccati, signa, indicia vniuersalia, & particularia, & omne quicquid est, per quod peccatum in confessione detectum, directè, vel indirectè quocunque modo, possit reuelari in genere, vel specie.

Qui tenentur ad sigillum confessionis?

RESPOND. Confessarius ipse, & aliæ omnes personæ, quæ confessionem sacramentalem audierunt, aut intellexerunt licitè

G 2 vel

vel illicitè, siue sint viri, siue foeminae secundum DD. in 4. d. 21.

An in nullo casu, etiamsi mors imminet, vel tota respublica periclitetur, liceat peccatum in confessione detectum, reuelare?

RESPOND. In nullo casu licitum est, peccatum in confessione sacramentali detectum reuelare, nisi quando id fit cum libera spontaneaque confitentis licentia, ex aliqua iusta causa, & absque scandalo.

Dubia quadam circa hanc materiam occurrentia.

*hinc legas
Sub: sequenti.*

PRIMUM. Quid si sacerdos interrogetur de aliquo poenitente, an ipsum absoluerit? Si absoluit potest dicere, qd sic: Si non, non debet hoc affirmare, quia ingereret suspicionem quod peccatum haberet à quo non vellet desistere, vel à quo non posset absolvere, sed respondet, se perfunctum suo munere & officio.

Secundum. Potestne Sacerdos sine fractione sigilli dicere, ille confessus est mihi sua peccata, & eum absolui? Potest, quia non reuelat confessionem, omnis enim confitens peccata confitetur: Non tamen licet dicere confessus est mihi peccata mortalia: aut venialia.

Tertium. Quid quando poenitens est peccator publicus, potestne confessarius dicere quod etiam hoc sciat ex confessione? Licet possit

possit tunc de eo loqui prout scit extra confessionem, non tamen potest insinuare se audiuisse in confessione.

Quartum. Quid si sacerdos non possit aliquid suum peccatum confiteri nisi reuelet confessionem.

Resp. Sacerdos pœnitens tunc non tenetur tale peccatum confiteri, vt DD. tradunt. Quia in tali casu censetur non habere sufficientis Sacerdotis copiam, respectu peccati, quod confessionem reuelaret.

Quintum. Quid si iudex, vel superior interrogat Confessarium de crimine, quod scit in confessione? Si solum in confessione scit, respondebit se nihil scire de re, quam Iudex inquirat, vel simpliciter nescire, & si opus sit, potest hoc & iuramento confirmare, subintelligendo in mente, non scio vt reuelem, vel nescio vt homo, sed vt Dei minister scio. Si autem extra confessionem scit, potest vt sic de eo loqui, imò etiam si requiratur, testimonium ferre, nihil significando de confessione.

Sextum. Quid si confessarius audiuit confessionem alicuius, & occurrit casus, quem non potest resolvere sine consilio alicuius viri docti, Nunquid poterit hoc facere sine reuelatione confessionis?

Resp. Potest quærere consilium à Docto, sed sic casus exponendus est, vt non cognoscatur persona, quam concernit.

Septimum. Potestne Confessarius cum penitente loqui extra confessionem, de peccatis auditis in confessione, propter utilitatem ipsius?

Resp. Si aliàs statum penitentis cognoscit, potest sic cum eo loqui, ac si non audiuisset in confessione: Aliàs non, nisi penitens ipse fortasse post confessionem, latius consilium, & maiorem instructionem, à Confessario ex peteret.

Octauum. An reuelet confessionem, quia de penitente aliquo, casum reseruatum habet, vel habuit, à quo non possum, nec potest ipsum absolueret?

Resp. Talis reuelat confessionem, quia detegit penitentē sibi confessum aliquod peccatum mortale habere, quia mortalia tantū, & grauiora reseruari solent, vt rectè docent Palud. in 4. d. 21. q. 3, & Nauarr. in d. c. Sacerdos. n. 1.

Nonum. An non possit aliquis coram multis confessionem sacramentalem facere.

Resp. Certum est, quod aliquis potest in vniuersam dictam suorum scelerum, & humiliationem sui, ad aliorum exemplum, & Ecclesiæ edificationem, peccata sua publicè confiteri: nemo tamē ad hoc debet compelli, vt confitetur ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & can. quem penitet. de penit. d. 1. Imò tradit Palud. hoc factum, quando in religionibus consuetum fuisse, &

Decimum. Quæ pœna reuelantis confessionem?

Præter grauiſſimum peccatum mortale, quod committit, pœna eſt depositio ab officio, & detruſio ad arctiſſimum monaſterium pro perpetua pœnitentia, cap. Omnis vtriuſq; ſexus, de pœnit. & remiſſ.

CAPVT XI.

DE NULLITATE

Confessionis.

An confesſio aliquando ſit nulla, ita, vt non valeat, ſed ex integro reiteranda ſit, & in quibus caſibus?

DE hac materia lege Nauarr. in Manuali cap. 9. & in cap. Fratres de pœnit. d. 5. à. num. 31. Caietan. in ſumma verb. confesſionis iteratio. Sotum in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Ioan. Medinam in C. de pœnit. tract. 2. à. q. 17.

Nullitas confesſionis oriri poteſt ex vno quinque fontium, nempe ex defectu confesſarij, contritionis, confesſionis, ſatisfactionis, & inhabilitatis in pœnitente. Pro clara huius materiæ, quæ multum neceſſaria eſt Confesſario, reſolutione ſit.

Prima Concluſio. Confesſio facta Confesſario non habenti iuriſdictionem, ſiue abſol- uendi poteſtatem, eſt nulla: patet Concluſ. ex cap. Omnis vtriuſq; ſexus, & communi DD.

In quibus caſibus cõ- feſſio reite- randa ſit.

G 4 ſen-

sententia: Quia cum absolutio sit actus iudicialis, requirit iurisdictionem, & subditos. Hinc confessio facta simplici Sacerdoti, vel non de licentia curati proprii alij curato, est nulla & reiteranda. Eadem est ratio de ea, quae facta est excommunicato denunciato, vel excommunicato propter manifestam clericum percussorem.

Secunda Conclusio. Quando Sacerdos non habet absoluendi intentionem, id est, non vult absolvere, confessio est nulla, nec valet. Quia intentio ministri, est de necessitate sacramenti.

Tertia Conclusio. Quando sacerdos tantalaborat ignorantia, ut vel absolvere nesciat, vel communia peccata mortalia, contra decem praecipua ignorat, vel alia, quae sunt necessaria respectu confitentium, confessio nulla est, & reiteranda. Quia non potest ferre sententiam, cum non habeat clauem scientiae. Nunc ex parte contritionis fit.

Quarta Conclusio. Cum poenitens nullam habet praeteritorum peccatorum detestationem, & dolorem, nec animum seu propositum deserendi statum peccati: confessio non valet, sed reiteranda est, secundum omnium sententiam. Quia quoduis sacramentum materia deficiente nullum est, contritio vel saltem contritio illa, quam supra descripsimus, spectat ad materiam poenitentiae, ergo ea deficiente

nullum est sacramentum. Hinc contingit, quod confessiones usurariorum, concubinariorum, & eorum, qui ultionem iniuriarum per fas, & nefas quærunt, ut plurimum sint nullæ, & reiterandæ.

Quinta Conclusio. Pœnitens, qui detestatur peccata præterita, cum proposito vitandi futura, licet dolor ita sit imperfectus, ut ne quidem gradum attritionis, quæ cum sacramento contritum facit, attingat, non tenetur confessionem reiterare. Quia alioqui nemo sciret se verè confessum, quia nemo scit an amore vel odio dignus sit: Quare etiam nemo scit an sit contritus, vel attritus sufficienter. Alia autem est ratio, quando penitens est suæ indispositionis conscius, & cognoscit se nec contritum, nec sufficienter attritum. Nunc pro nullitate & defectu ex parte Confessionis fit.

Sexta Conclusio. Quando confitens ex malitia, verecundia, timore, aut alio respectu humano, sine legitima causa, ex intentione, scienter in confessione omittit aliquod peccatum mortale, aut quod credit esse mortale, aut circumstantiam necessariam, aut dimidiat confessionem, confessio est nulla, & omnes sequentes ab ea, in qua peccatum est omissum, & sic etiam reiterandæ. Quia confessio integra omnium peccatorum, quorum pœnitens memoriam habet, est materia huius sacramenti: ex Conc. Floren. & communi DD. sententia.

Dictum in conclusione, sine legitima causa
 Quia supra dictum ex quibus causis hoc fieri
 possit. Additū etiam aliquod peccatum mor-
 tale, quia veniale sine peccato potest etiam
 intentione omitti, & non reddit nullam con-
 fessionem.

Septima Conclusio. Quando confitens con-
 fessionem facit, non adhibita diligentia, quae
 peccata commissa in memoriam reuocet, aut
 ex culpabili, & crassa negligentia, aut igno-
 rantia, aliquod mortale omittit, confessio re-
 ditur nulla, & est reiteranda.

Octava Conclusio. Qui facit diligentiam
 inquisitionem, quam putat sufficientem, qui
 uis verè talis non sit, & ob hoc non confitetur
 aliquod peccatum mortale, quia obliuiscitur
 non tenetur de nouo reiterare confessionem
 quia huiusmodi confessio fuit valida, cum
 fuerit ex proposito & intentione dimidiata.
 Adhibenda autem est tanta diligentia in re-
 ducendo ad memoriam peccata, quanta iudicio
 prudentis & boni viri adhiberi solet, in
 ardua magni momenti qualis est profectio sa-
 lus animæ. Nec in omnibus æqualis diligentia
 requiritur, qui enim crebrò confitentur, ne-
 multis implicantur negotijs & peccatis, facili-
 iori negotio se expediunt. Quod etiam locum
 habet in illis, qui ut plurimū tantum venialia
 committunt, & confitentur: Quia ex omisso
 ne venialium, confessio nō annullatur. Sit nunquam
 ex parte inhabilitatis in confitente. Non

Nona Conclusio. Excommunicatus, ignorantia inuincibili iuris, aut facti laborans, si prius à peccatis quàm ab excommunicatione absoluator, confessionem reiterare non tenebitur: Sacramentum enim est validum, quoniam propter ignorantiam inuincibilem excusatur: hanc conclusionem tenent Caict. in verb. Absolutionis impedimenta, & in verb. Confessionis iteratio, Ioan. Medina, loc. cit. q. 18. Nauarr. in d. cap. Fratres. num. 45. Ioseph. Angles vbi sup. diffic. 7. & alij alibi.

Si autem pœnitens sit excommunicationis conscius, & deposuerit contumaciam, & prius à peccatis absoluator, quam excōmunicacione, erit reiteranda confessio, quia stante tali excommunicatione, pœnitens non est capax sacramentalis absolutionis, quamuis præstet iuramentum obediendi Ecclesiæ. Hanc materiam latè prosequitur Nauar. loc. d. Hinc intelligitur, per inhabilitatem ad recipiendum absolutionem in pœnitente, DD. intelligere impedimentum excommunicationis maioris, vel minoris in pœnitente. Ex defectu satisfactionis fit.

Decima & vltima Conclusio. Confessio non est nulla, nec iteranda ex hoc, quod pœnitens pœnitentiam iniunctam non impleuerit, vel non in statu gratiæ, siue per obliuionē, siue per negligentiam, hæc conclusio est contra multos Doctores. Conclusionem autem præsentem

tenent. Nauart. in Manuali cap. 9. num. 17. de pœnit. d. 5. cap. Contrarium, à num. 18. in d. cap. Fratres, num. 5. Caiet. in verb. Confessionis iteratio. Adrian. in 4. quæst. 4. de Confess. Ioseph. Angles vbi sup. art. 7. difficult. & alij alibi: Ratio, quia qui semel legitime confessus est sua peccata, nulla humana auctoritate cogi potest, vt iterum ea cōfiteatur, sufficit ergo, quando aliquis pœnitentiam non impleuit, aut per obliuionem, aut per negentiam, vel aliam causam, quod peccatum confessus est, nec est necesse repetere confessionem: si quis tamen, vt Adrian. Nauarr. & alij docent, ante absolutionem pœnitentiam impositam contemneret, aut ex ignorantia causa, & culpabili, non laboraret vt eius esset remissio, confessio foret reiteranda, non ex defectu satisfactionis, sed integritatis, quia si peccatum non confessus fuit ante absolutionem,

CAPVT XII.

DE MINISTRO CONFESSIONIS *& requisitis in eo.*

MINISTER sacramenti pœnitentiae est Sacerdos habēs potestatem iurisdictionis vt vocant, in pœnitentem.

Ad intelligentiam huius rei notandum duplicem requiri potestatem in ministro sacramenti pœnitentiæ, ordinis, & iurisdictionis. *Potestas in confessario duplex, Ordinis & Iurisdictionis.* Ordinis potestas confertur Sacerdoti in sua consecratione, quando ordinatur Sacerdos. Iurisdictionis verò recipitur, quando quis legitime præficitur curæ animarum, quod intellige quantum ad exercitium. Iurisdictionis adhuc duplex est, Ordinaria & Delegata. Ordinaria vtuntur sequentes. Pontifex in vniuersali Ecclesia, Episcopus in sua Diocœsi, Parochus in sua Parochia. Delegatam habent ij, quibus ab his committitur. Ex defectu potestatis ordinis. Confessio facta laico, aut alteri clerico, qui non est sacerdos, nihil valet ad effectum absolutionis, vt communis Theologorû sententia est, & veritas certissima, ab omnibus recepta, & definita in concil. Trident. sess. 14. can. 10. Contra tamen videntur textus in cap. quem pœnitet. de pœnit. d. 1. & de pœnit. d. 6. cap. 1. Tanta est virtus confessionis, vt etiam laico facta profit, & si deest Sacerdos, confiteatur proximo, & Mag. in 4. d. 17. alias adfert auctoritates. Respondetur, hos canones cum Magistro intelligendos esse de consilio, & non ad effectum sacramentalis confessionis, sed causa humilitatis, vel petendi consilij, vide ad hanc materiam Nauarr. de pœnit. d. 6. cap. 1. in principio à num. 72. Ex defectu autem iurisdictionis, non potest absoluerè quili-

quilibet simplex Sacerdos, cui non est commissa animarum cura in subditos: Nota regulam generalem, quod in articulo mortis, praelumitur, quando mors timetur, quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus peccatis, & censuris in foro conscientiae.

QUAE PRAETEREA REQUIRUNTUR IN CONFESSARIO?

Respond. Tria adhuc; *Scientia, Prudentia, & Bonitas.*

ADDUNT quidam secretum, sed hoc rectum est inter conditiones confessionis, etiam de hoc actum.

De scientiae necessitate, qualitate & quantitate, dictum in quaestione proemij.

Prudentia, ad quatuor requiritur in confessione. *Primo*, ut ad aperiendam conscientiam, inducatur peccator, in qua re, non est opus parva industria apud ignorantes, & verecundos. Quare in d. c. i. de poen. d. 6. §. diligens, dicitur. Diligens itaque inquisitor, & subtilis investigator, sapienter & quasi astute terroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare, peccatorem mortaliter confessarius, non interrogando quoties credit, & probabiliter animadvertit, confitentem aliquid necessario confitendum, taciturnum, ut in d. §. diligens. Navar. d.

cet & alij alibi. Quando autem bona fide putat, nihil omiffum à pœnitente, vtpote quia est puræ conscientia, discretus, sapius solitus confiteri, non tenetur interrogare, imò aliquando imprudentia est, pœnitentem nimis interrogationibus moleftare. In hac re opus est discretione, ne quid nimis fiat. Debet autem Confessarius, cum patientia, sine vlllo signo perturbationis, aut horroris, etiamfi pœnitens grauiſſima peccata confiteatur permittere, vt ſua peccata vel ordine, vel confuſè prius confiteatur antequam interroget, niſi fortasè breuiter, in diſcurſu alicuius admonendus ſit, propter obliuionem. Tria autem obſeruanda à Confessario in interrogando.

Primum, Vt interroget de peccatis, eorumque circumſtantijs neceſſarijs, & non de fabulis, ſeu alijs impertinentibus, ex curioſitate.

Secundum, Vt fiat interrogatio niſi de peccatis conſuetis, & eis quæ communiter committuntur, & cognoſcuntur à pœnitentibus. Quia quærendo non conſueta ex propoſito, niſi pœnitens det cauſam interrogandi, ſæpè nocet confitenti, dum fortasè diſcit mala, quæ nescit. In genere autem & è longinquo, & quaſi præter intentionem, quando prudentia diſtat, inconſueta ſunt inquirenda.

Tertium, vt interrogando circa peccata luxuriae & carnalia, nō nimis ad particulares circum-

cumstantias descendat, ne confessarius & pœnitentem in tentationem ducat. Quod secundum Aristotelis doctrinam in 3. Ethicis. Delectabilia quanto magis considerantur, tanto magis mouent. De interrogationibus vide Angelum in summa verb. interrogatio- nes in confessione, & Caiet. & P. Ioannem Lancum Theologum Societatis Iesu, in c. 2. rectorij, & latius in appendice eiusdem libri.

Secundo. Requiritur prudentia in confessorio, ad interrogandum & inquirendum de rebus quæ necessaria sunt ad discernendum mortalia à venialibus.

Tertio. Ad inducendum pœnitentem contritionem, & dolorem, ne fallatur iuxta illud Apostoli I. ad Timoth. 5. Ne citò maius imponas, hoc est enim communicare peccatis alienis, & viuificare animas, quæ viuunt.

Quarto. Ad imponendum conuenientem satisfactionem, & ad salutaria remedia contra peccata.

De Bonitate Confessarij.

BONITAS confessarij tanta esse debet, ut sit, vel probabiliter putet se esse extraneum peccati mortalis, aliàs mortaliter peccat, quia sacramentum in mortali ministrat, ut dicitur in c. 2. de sacramentis in communi. Quia in generali regulam communem, omnis qui recipit, ad

ad ministrat sacramentum in mortali, mortaliter peccat, 1. q. 1. cap. per Esaiam. & cap. illud 9. dist. valet tamen sacramentum in mortali administratum, vt pleniùs supra. De bonitate Confessarij, vide Caietan. in summa verb. Confessor. Auream Armillam eod. verb. Nauarr. de pœnit. d. 6. cap. 1. §. Sacerdos, & in manuali cap. 4. num. 15.

C A P V T X I I I .

DE SATISFACTIONE TERTIA PARTE PœNITENTIE.

DE hac lege Nauarr. in Manuali cap. 3. & de pœnit. d. 3. cap. Satisfactio. Dominicum Sotum in 4. d. 19. cum Magistro & alijs Doctoribus. Petrum à Soto de instit. sacerdotum in tract. de sacramento pœnitentiæ. Ioan. Medinam in C. de pœnit. tract. 3. Andream Vegam de iustificatione lib. 13. à c. 36. & Summistas in verb. Satisfactio.

Satisfactio, est quædam recompensatio, pro iniuria Deo facta, cum proposito amplius eum non offendendi.

Satisfactio in primis est duplex, vna, quæ voluntariè à quolibet pœnitente potest assumi, qua proprio arbitrio, iuxta admonitionē sacrarum literarum, vult dignos pœnitentiæ

Satisfactio duplex.

H fru-

fructus facere. Alia, est sacramentalis, quam minister Christi, ex potestate clauium in foro conscientiae poenitenti iniungit, pro qualitate peccatorum, & dispositione ipsius. Hæc satisfactio cum trahat suum fructum, & effectum à sacramento, quod ex opere operato operatur, multò præstantior priori est, quæ tantum à virtute poenitentiae procedit. Ad hæc sacramentalis, si impleatur in peccato mortali, non uiuiscit, & suum effectum consequitur, remota fictione, ut Theologi loquuntur, quod celebres Doctores, contra aliquorum Theologorum sententiam tenent: Sic Caietan. tom. 1. tract. 6. quæst. 2. Nauarr. de poenit. d. 6. cap. 1. princ. num. 48. Petrus à Soto lect. 2. de satisfactione, prope finem, Franciscus à Victor. de sacramentis in tract. de satisfactione, num. 201. Quod nequaquam competit illi, quæ non imponitur in sacramento.

An dimisso peccato, quo ad culpam, maneat aliquæ poena, pro qua satisfaciendum sit in hac vita, vel purgatorio?

NEGAT Lutherus cum suis, ut est uide apud Episcopum, & martyrem Ioannem Roffensem in art. 5. Quo fundamento falso posito, destruit satisfactionem, purgatorium & indulgentias.

Conclusio Catholica est. Non semper dimissa culpa remittitur tota poena, etiam in sa

eramento pœnitentiæ. Dictum in conclusio-
 ne non semper: quia non est negandum, pos-
 se aliquando tam magnam esse contritionem,
 vt cum culpa tota pœna remittatur, vt con-
 stat de Larrone in cruce, Maria Magdalena &
 alijs. Conclusio dicta, est Conc. Trident. sess.
 14. cap. 7. & can. 12. & in sess. 6. cap. 14. Hæc
 Conclusio probatur testimonijs sacrarum li-
 terarum. 2. Reg. 12. à Dauide Dominus trans-
 tulit peccatum, vt patet ex dicto Nathan ad
 eum, tamen pœna non dimittebatur, nam
 subiungit. Verum tamen filius tuus morie-
 tur, & Num. 10. & 14. Moyfi & Aaron pecca-
 tum diffidentix dimissum esse legitur, sed in
 pœnam, non poterant ingredi terram pro-
 missionis, quam desiderabant. Idem confir-
 matur exemplo Niniuitarum, & aliorum, qui
 in cinere & cilicio pœnitentiam egerunt, vt
 passim in libris veteris testamenti videre licet,
 quorum exercitium, commendat Dominus
 in Euangelio. Matth. 11. Vx tibi Bethsaida,
 Vx tibi Chorozaim, quia si in Tyro & Sydo-
 ne factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te
 olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.
 Apocalyp. 2. Memor esto, vnde excideris, age
 pœnitentiam, & prima opera fac. 2. Corinthi
 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœni-
 tentiam in salutem stabilem operatur, & in
 Euangelio, pœnitentiam agite: & facite fru- *Matth. 5.*
 ctus dignos pœnitentiæ. In sacramento ergo *4.*
 H 2 pœni- *Luc. 3.*

pœnitentiæ, virtute absolutionis culpa peccati dimittitur, & pœna infinita & perpetua, finitam & temporalem mutatur, vt communiter Doctores sentiunt. Hæc pro veritate sufficiant, qui voluerit legere latam probationem, tam ex scripturis, quàm patribus contra hæreticos, videat Andr. Vegam loc. cit. Cardinalem Hosium latissimè in confessione Catholicæ fidei capit. 48. Catechismum magis acerrimi defensoris fidei in Germania, P. Petri Canisij Theologi Societatis Iesu, in tractatu de Satisfactione. Dominicum Sotum lib. 3. de natura & gratia cap. 6. Bellarmin. tomo 2. lib. 4. de pœnitentiâ, & alios alibi. Omnis autem nostra satisfactio suam virtutem trahit à satisfactione Christi, cuius meritis & gratiæ imputatur. Quare nostra satisfactio beneficium redemptionis nō obscurat, vt aduersarij calumniantur, sed magis commēdat & illustrius reddit, pretium enim sanguinis Saluatoris infinitum fuit, & copiosissimum pro satisfactione omnium quantum ad sufficientiā, non quantum ad efficaciam: quod Christus voluit nobis applicari per sacramenta & opera nostris quibus gratiæ in cruce partæ cooperamur. De his longius Doctores controuerfiarum.

De operibus satisfactorijs.

OMNIA opera satisfactoria ad tria reducuntur. Ieiunium, Orationem, & Eleemosinam.

mosynam. Ad ieiunium omnia, quæ carnem affligunt, vt vigilia, peregrinationes, flagellationes, &c. Ad orationem opera misericordiæ spiritualia, & ad Eleemosynam corporalia.

Sunt etiam flagella, & calamitates à Deo immiffæ, patienter toleratæ satisfactoriæ pro peccatis, vt docet Concil. Trident. loc. cit. cap. 9. & can. 13. Idem dicendum de alijs malis, quæ secundum generalem concursum, ex naturalibus causis oriuntur: Hæc tamen cum non tam actualibus peccatis, quàm originali respondeant, & sint quasi naturalia, secundum quantitatem patiētiae sunt satisfactoria: Quare quidam podagra laborantes, si cum magna patientia dolores perferant equo animo, satisfaciunt pro peccatis: Si autem vt nonnulli facere solent, ex impatientia iurent, execrentur, & mala, tam sibi quàm alijs imprecantur, pœnas maiores merentur, vel in purgatorio, vel in inferno soluēdas. Ex dictis colligitur quod flagella à Deo inflicta, magis sunt satisfactoria, quàm huiusmodi naturalia mala, vt rectè Dominicus Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 2. tradit. Patientiæ etiam sunt admonendi, qui extremo afficiuntur supplicio ordine iuris, quia si huiusmodi mors cum patientia, & bono animo acceptetur, mirum in modum est satisfactoria: Si verò iniquo animo, & per impatientiam homo resileat, meram rationem vindictæ, & non satisfactionis habet. Imò Petrus

à Soto de inffit. Sacerdotum de satisfactio-
 sacramentali sect. 2. ex S. Thom. in 4. sentent.
 d. 15. quæst. 1. adfert, per mortem violentam
 omni pœnæ satisfieri, nec maiori purgatione
 egere etiam grauissimum peccatorem: Quo
 memorabile dictum, non tamen ab omnibus
 tanquam verum recipitur.

Qualia debeant esse opera satisfactoria?

QVAMVIS optimum consilium sit, ut
 opera satisfactoria sint pœnalia, tamen
 id ad satisfactionem non necessariò requiritur:
 prima pars constat, ex communi omnium
 sententia, quia satisfactio imponitur ad
 corrigendum culpam, quæ non corrigitur
 nisi per pœnam. Quare quo magis opera
 satisfactoria sunt pœnalia, eo magis satisfac-
 unt pro peccatis. Secunda pars etiam mani-
 festa est, quia ditissimus & liberalissimus po-
 test satisfacere per eleemosynam, & temperat-
 issimus per ieiunium: & tamen neuter e-
 rum sentit ex talibus actibus pœnam, aut
 afflictionem. Satis enim est ad satisfactionem,
 sit priuatio alicuius boni utilis, aut delectabi-
 lis. His etiam adiungimus, quod quamuis
 singulariter, satisfactio fieri debeat opere aliàs
 debito, tamen consideratis rerum circumstan-
 tijs, possunt etiam imponi opera aliàs debita,
 quia vnico actu, duplici obligationi possunt
 satisfacere: Sic in quadragesima alicui raro
 iunanti secundū præceptum, posset pro pœ-
 nentia imponi ieiunium aliquorum dierum.

*Quæ modus seruandus in imponenda satisfactione
sive pœnitentia?*

DE hac materia vide Nauarr. in Manuali
confessariorum cap. 26. à num. 15. & in
commentario de Iubilæo & Indulg. notab. 32.
in Extrauag. Gregorij 13. num. 20.

In hac re plus valet prudentia confessorij,
quàm certa regula. Attendenda tamen, in hoc
negotio dispositio Conc. Trident. sess. 14. ca. 8.
& seruanda, vt sacerdotes Domini, quantum
Spiritus, & prudentia suggererit, pro qualita-
te criminum, & pœnitentium facultate, salu-
tares & conuenientes satisfactiones iniungât,
ne si fortè peccatis conuiueant, & indulgenti-
us, cum pœnitentibus agant, leuissima quædã
opera, pro grauissimis delictis iniungendo,
alienorum peccatorum participes efficiantur.
Sit autem satisfactio quæ imponitur, non tan-
tum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis
medicamentum, sed etiam in præteritorum
peccatorum vindictam & castigationem.

In impositione pœnitentiæ ergo viden-
dum, vt non æqualis, & eadem omnibus sa-
tisfactio imponatur, hoc enim iniquum es-
set, quia iuxta magnitudinem delicti debet es-
se quantitas pœnæ, cum in Deuter. 25. scriptũ
sit. secundum mensuram delicti debet esse
plagarum modus, proinde sequentia benè
considerentur. Magnitudo & paruitas pec-
catorum, Contritio & qualitas pœnitentis,

an debilis vel fortis, iuuenis vel senex, an bene
 vel male affectus ad pœnitentiam, an verum
 militer eam sit impleturus, & his considerandum
 faciat, quod prudentia dicitur. Quia si impo-
 neret Eleemosynam pauperi, aut ieiunium
 qui perpetuis insistere debet laboribus, à
 ratione alienum foret. Aduertendæ etiam spe-
 cies peccatorum, quia peccata carnalia alia
 requirunt pœnitentiã, quàm spiritualia: Si-
 gulis enim morbis conuenientia sunt adhibenda
 remedia. Insinuandum est etiam pœ-
 nitenti, iustam pœnitentiã peccatis condemp-
 nam, soli Deo esse cognitã, & antiquitus ho-
 mines Deum timentes, & propriæ salutis con-
 sulentes, ad vitandum grauissimas pœnas a-
 terius vitæ, pro maiori peccato mortali septem
 annorum pœnitentiã fecisse, vide apud Gra-
 tianum in 33. quæst. 2. cap. Hoc ipsum, & in
 quæst. 1. cap. prædicandum, Gloss. ibid. & Nu-
 uarr. loc. cit. & in Concil. Nicæno legitur
 quod si quis metu persecutionis coactus, fidei
 negasset, decem annis pœnitere debebat. Huius-
 iusmodi tamen canones pœnitentiales, non
 sunt amplius in usu, salutare tamen est, ut pœ-
 nitentes admoneantur, & quantum fieri po-
 test, ad eos reuocentur.

*An pœnitens teneatur acceptare pœ-
 nitentiã?*

QVANDO pœnitentiã est necessaria
 excundum à statu peccati, & ad cauend

peccata futura, pœnitens tenetur eam acceptare: etsi reuocat non est absoluendus, quia nō est sufficienter contritus. Idem etiam probatur, quia de ratione huius iudicij est, ligare & absolvere, ergo sicut confessarius absoluit à peccatis, & perpetua pœna, sic potest ligare ad temporalem. Eadem est ratio, quando pœnitentia moderata imponitur, pro peccatis præteritis in satisfactionem: Quamuis si quis omnino vellet, pœnam reseruare in purgatorio persoluendam, suo iudicio relinquendus esset. Si quis ergo pœnitentiam impositam & acceptam pro mortalibus, sine iusta causa non implet, mortaliter delinquit, vt tradunt Scotus in 4. d. 18. & 19. Paludanus d. 20. quæst. 2. Gabriel. d. 16. quæst. 2. dubio 1. Syluest. in verb. Confessio 1. numero 25. & 29. Sotus in 4. d. 20. quæst. 2. art. 2. Nauarrus in manuali confessariorum. c. 21. num. 43. & alij communiter, non tamen ideo, vt supra diximus tota confessio reiteranda, sed satis est, vt in sequenti confessione culpam confiteatur. His addo, cū Nauarr. in Manuali cap. d. num. 22. & alibi, q̄ pœnitentia iniuncta, & acceptata mutari, & diminui potest ex iusta causa, vt si bona fide pœnitens præsumat, se non posse adimplere, aut non sine periculo salutis anime, vel corporis, aut præiudicio tertie personæ, & hoc etiã alius confessarius facere potest, quando aut

H 5 non

non est, aut non ita facilis aditus ad Confessarium, qui eam imposuit.

Quid remediū, si pœnitens pœnitentiæ obliuiscatur?

DVo restant remedia. *Primum*, vt suo Confessarij iudicio tantam agat pœnitentiam, quantam probabiliter existimat, impositam fuisse pro peccatis præteritis. *Secundum*, vt seruet pœnam in alia vita soluendam in purgatorio, vel inferno: vel in hac vita piet operibus satisfactorijs & indulgentijs firmis in articulo mortis, quando tanta est firmitas, vt eam implere non possint, nulla imponenda pœnitentia, vel tam parua, vt statim possint facere, & reliqua eis significanda, vt impleant, si conualuerint.

Pœnitentia secundum melius consistit imponenda est ante absolutionem, vt se- Glossa in Clemen. dudum. §. statuimus. vt Audire. de sepult. quod tamen non est de necessitate, quia quæ post imponitur, etiã vt Quæ enim in continēti fiunt inesse videntur.

Tandem admonendi sunt tam confessi quam pœnitentes hîc, vt ex ignorantia credant, propter pœnitentiam & pœnam impositam à Confessario, aliquem liberari à restitutione alieni, de qua Aug. Non condonatur peccatum, nisi restituatur ablatum, quia alia est satisfactio, per quam Deo pro peccato satisfacimus, alia restitutionis obligatio, per quam

proximo reddit, quod suum est, vt latius suo loco patebit.

An vnus pro alio possit satisfacere?

VIDE Sotum in 4. d. 19. q. 2. art. 4. & Scholasticos in d. 20. Iosephum Anglesin 4. part. 1 de satisfactione. 3. difficult.

Prima Conclusio. De fide est, quod vnus pro alio potest satisfacere, probatur ex symbolo fidei, in quo confitemur communionem sanctorum, & ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & vnus viuus pro defuncto in purgatorio satisfacere potest, &c. Hæc tamen Conclusio intelligenda de satisfactione offensæ commissæ.

Secunda Conclusio. Vt aliena satisfactio proficit, oportet vtrumque, satisfacientem scilicet, & illum pro quo fit satisfactio, in charitate, & gratia existere. Quia satisfactio debet fieri per opus Deo gratum, & acceptari pro alio ratione beneuolentiæ diuinæ, quæ non est in peccatore. Ad hæc, satisfactio vnus pro alio à Deo admittitur, quatenus ambo sunt viua membra corporis Christi, per gratiam & charitatem.

Tertia Conclusio. Quando pœnitentia imponitur, in remedium pro peccato futuro & in medicinam, tunc vnus pro alio satisfacere non potest. Quia medicina non est opus nisi
malè

malè habentibus, & non prodest nisi ei cui applicatur, præterea pœnitentia iniuncta, est obligatio personalis, quæ pro delicto imponitur. Ideò dicitur in cap. Omnis vtriusque semper pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere.

Quarta Conclusio. Potest etiam vnus in caritate existens, pro alio per opera supererogationis, applicando illi sua opera satisfactoria Deo satisfacere. Sic solent religiosi, alijs opera applicare in satisfactionem: Quia quilibet opus in caritate factum, non solum meritorium, sed etiam satisfactorium, vt Catholica fides tenet, & cap. sequenti plenius tebit, & vt satisfactoriũ potest alteri applicari.

CAPVT XIV.

DE INDVLGENTIIS.

QVONIAM indulgentiæ materia satisfactioni affinis est, & non raro necesse est, vt pote quando Iubilæum ex præfatione Pontificis publicandum, & populo proponendum, vt populus indulgentiarum vtilitate instruendus sit, indulgentiarum materiam necessariam paucis perstringimus. De qua contra hæreticos legendi Hosius locutus est. Episcopus Roffensis in art. 17. 18. 19. &

contra Lutherum, Alphonsus à Castro de hæresibus, verb. Indulgentiæ: Dominicus Sot. in 4. d. 21. Ioan. à Turrecremata de pœnit. d. 41. cap. Quis aliquando. §. In Leuitico, Felinus Sandæus Ferrariens. in sermone de indulgentijs incipiente, hodie mecum eris in paradiso, & latè Ludouicus Bologninus in tract. de Indulgent. horum duorum tractatus habentur in 5. volum. Oceani Iuris. Omnium latissimè materiam indulgentiarum tractat Nauarr. in commentario de Iubilæo & indulgentijs.

Quid est Indulgentia?

EST remissio pœnæ temporalis, debite pro peccato actuali iam dimisso, extra sacramentalem absolutionem facta, aut concessa à prælato Ecclesiæ ob rationabilem causam de thesauro Ecclesiæ.

Quid nomine Iubilæi intelligitur, quando iudulgentia in forma Iubilæi conceditur?

IVBILÆVS annus in antiquo testamento solemnus erat, vt patet ex Leuit. 25. & 27. & Num. penult. cap. & alibi. Hic annus celebrabatur semper anno Quinquagesimo, qui sanctificatus erat. Illo enim anno serui libertate donabantur, debita relaxabantur, prædia diuendita ad antiquos possessores reuertebantur, exules in patriam, & pristinam libertatem redibant, vt ex Leuit. colligere licet. Hinc Iubilæus

bilæus annus in Christi Ecclesiam secundum
 similitudinem aliquam translatus : quem
 modum enim in illo antiquo debita tem-
 poralia, ita in nostro spiritualia condonantur
 illo etiam libertas temporalis, in nostro spi-
 ritualis restituitur, in illo possessiones terre-
 alienatæ recuperabantur, in nostro virtutes
 merita per peccata deperdita restaurantur
 illo exules in patriam redibant, in nostro
 les à patria cœlesti, ad eandem reducuntur
 illo etiam secūdum aliquos in carcerem
 iecti soluebantur. In nostro ligati vinculis
 funibus peccatorum relaxantur, & soluntur
 Quare quando maximæ indulgentiæ in
 clesia conceduntur, id fit in forma Iubilæi

*An in Ecclesia sit potestas concedendi
 indulgentias?*

CERTA fide tenendum est, in Ecclesia
 esse potestatem concedendi indulgentias,
 as, vt patet ex Concilio Lateranen. sub
 Innocentio III. cap. Cūm ex eo de poenitentia
 remiss. & ex Extrauag. eodem tit. & ex
 cil. Constantien. contra Ioan. Wicleff.
 Triden. sess. 21. cap. 9. & sess. 25. in decreto
 indulgentijs. Cūm ergo Ecclesia sit, colum-
 & firmamentum veritatis, impium est
 tare de hac materia. Spectat potestas con-
 dendi indulgentias, ad potestatem clauis
 quas Christus in Ecclesia reliquit Matth. 16.

Ioan. 20. Deinde indulgentiarum vsus est antiquissimus, vt clarum est ex Concil. & Extrauag. cit. ex quibus colligitur ante 300. & 400. annos fuisse indulgentiarum vsus. Imò Gregorius magnus, & Primus anno 619. stationes, & cæremonias, ad quærendas indulgentias Romæ statuit, vt tradit S. Thom. in 4. d. 20. quæst. 1. art. 3. De antiquitat. indulgentiarum legen. Roffen. loc. cit. Nauarr. vbi supra notab. 7. Sotus quæst. 1. art. 3.

Qui anni Iubilæi fuerunt promulgatores?

PRIMVS qui literis mandauit hunc annũ singulis centum annis celebrari, fuit Bonifacius VIII. circa annum Domini 1300. vt apertum est ex Extrauag. 1. de pœnitent. & remiss. Deinde Clemens VI. statuit, vt singulis 50. annis celebraretur, per Extrauag. Vnigenitus eodem tit. Tandem Paulus II. ad breuius tempus, nempe ad 25. annum Iubilæum reduxit, qui nunc adhuc celebratur, & celebratus postremò Anno 1575. sub fœlicissimo Pontificatu Gregorij XIII. vt patet ex eius Extrauag. quæ incipit Dominus ac redemptor noster, quam eruditè exponit Nauarr. loc. cit. notab. 32.

Quid est Thesaurus indulgentiarum, & vnde originem trahit?

PRO fundamento huius materiæ præsupponen-

ponendum id, quod egregiè Roffen. in art. probat, opus in charitate factum, non esse meritorium vitæ æternæ, sed etiam factorium pro pœna. Exodi 32. Moyses in ratione sibi præmium acquisiuit, & pro pœnæ remissionem impetrauit, & Leviticus Sacerdos orans sibi meruit, & populo per Ad Philip. 2. condonationem obtinuit. Deinde Salu- noster sibi meruit, cum scriptum sit. Pro quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, & tamen nobis satisfecit. Esai. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & propter iniquitates nostras vulneratus est, &c. legitur etiam de S. Antonio Apostolo, quod pro presbytero, qui toto suæ cursu priori, scortis deditus fuit, non cessauit orare, ieiunijs, & lachrymis se agere, quam diuinitus intellexisset condonari sibi peccata. Constat etiam, quia opus meritorium quatenus est bonum, charitate formatum, & meretur præmium: Satisfactorium, prout pœnale, & pœnam infert operanti. Quatenus ergo opus est meritorium de digno, cum non excedat personam operantis alteri non applicatur, at prout est satisfactorium, potest vnus pro alio satisfacere, vt constat ex dictis. Quisquis autem ista discernere nequeat, vel nolit, aut ingenij certè crassum in causa est, aut peruersa malignitas, vt ait Roffen. in d. art. 17. Cum sæpè videamus ap-

principes seculares, quorum tamen haud infinita benignitas est, vt quispiam intercedens pro alterius offensa, nō solum illam obtineat, verum etiam ampliorem gratiam plerumque sibi conciliet.

Christi ergo Satisfactio infinita fuit, & multæ sanctorum superabundantes, vtpote qui non omnino peccauerunt, vel peccauerunt non ita grauitè, sed multum satisfecerunt. Sic Iob. 6. vtinam appenderentur peccata mea in statera, & calamitas quam patior, quasi arena maris multo grauior appareret. Ex quibus verbis constat, maiores pœnas fuisse passum Iob, quàm eius peccata merebantur: sic S. Paulus ad Coloss. 1. Quæ defunt passionum Christi, adimpleo in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, sic quoque B. Virgo passa est multa in hoc seculo, nullius tamen culpæ rea extitit, sic Hieremias, Ioannes Baptista, Martyres, Confessores, Monachi, Eremitæ, atque virgines, multa bona opera præstiterunt: quæ in abundantia, satisfactoria extiterunt, nec remunerata sunt quo ad satisfactionem, quamuis quantum ad meritum, præmium retulerint. Sit nunc Conclusio.

Prima. Thesaurus indulgentiarum constat, ex superabundantia meritorum Christi, & aliorum sanctorum, probatur ex Extrauag. Vnigenitus, de pœnit, & remiss. & communi consensu totius Ecclesiæ.

!

Se-

Secunda conclusio. Ecclesie thesaurus non conflatur ex operibus sanctorum, quatenus sunt gratia & gloria meritoria, sed ut sunt satisfactoria. Quia indulgentia non dantur gratia & meriti augmentum, sed ad poenitentiam remissionem. Quando ergo indulgentia conceduntur, Pontifex applicat opera satisfactoria Christi & sanctorum, in satisfactionem pro alienis peccatis. Ex dictis inferitur quod indulgentia sit condonatio, & solutio in ordine ad diuersa: Respectu recipientium est condonatio. In ordine autem ad Christum & Ecclesiam solutio.

Quis potest conferre indulgentias?

SVMMVS Pontifex, Concilium, Archiepiscopus, Episcopus, & alij prelati. Pontifex autem habet vniuersalem in Ecclesia potestatem. Episcopus & alij infra suos limites ad terminum prefixum tantum conferunt. Communis est sententia Doctorum cum textu cap. Quod autem. & cap. Nostro. de poenitentia & remissio. & ex Extrauag. Vnigenitus.

De valore indulgentiarum.

ANTE omnia presupponendum, videlicet te indulgentiarum neminem conferunt remissionem culpae, quia indulgentiae presupponunt culpam dimissam in sacramento poenitentiae, cum secundum iura, non conceduntur nisi contritis & confessis. Quando autem

dicitur in indulgentijs, à culpa & pœna, significatur consequenti indulgentias, remissionem peccatorum quantum ad culpam & pœnam dari, diuersis tamen respectibus: Quia culpæ remissionem obtinebit, virtute contritionis & confessionis: Pœnæ autem, virtute indulgentiarum.

Deinde quando indulgētiæ conceduntur, inspiciendus tenor Bullarum & literarum, vt nihil eorum omittatur, quæ de necessitate, & præscripto concedentis facienda sunt, quia commune pronunciatum apud Doctores est. Quod indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: quod verum est, quando causa sufficiens est, & dispositio necessaria in recipiente.

Prima Conclusio. Indulgentiæ tantum pœnæ temporalis relaxant, quantum fuit expressè per illas concessum: constat ex Extrauag. Vnigenitus, vbi definitur, Pontificem posse virtute thesauri Ecclesiæ, aut æqualem aut partialem pœnam temporalem, pro peccatis luendam relaxare.

Secunda Conclusio. Quando in Bulla, aut literis dicitur, concedimus indulgentiam 20. annorum aut dierum de pœnitentijs iniunctis, tantum intelligitur de iniunctis. Quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

Tertia Conclusio. Quando in forma, aut Bulla indulgentiæ, non ponitur clausula restringens, ad iniunctas pœnitentias, indulgentiæ

I a intel-

intelliguntur, tam de iniunctis quàm iniunctis, & de pœnis purgatorij illis correspondentibus: S. Thom. in d. 20. Sot. in d. 21. quæst. 2. art. 1. Nauarr. loc. cit. notab. 11. num. 12. & alibi probatur. Pontifex potest extra factum, illas pœnas etiam remittere, quæ non sunt in pœnitentia impositæ; ergo in indulgentijs nulla fiat moderatio, indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

Quarta Conclusio. Concedere indulgentiam vnus diei, vel vnus anni, est remittere tantam pœnam purgatorij, quanta remitteretur, si pœnitentiam vno die, vel anno factam, Innocent. in cap. Quod autem de pœnit. & rem. & alij ibidem. Palud. & Maior cum alijs in d. 20. Adrian. de indulg. in 4. Nauarr. vbi supra num. 8.

Quinta Conclusio. Adimplens partem eius quod pro indulgentia quærenda imponitur, & faciendum est, & non totum; neque totam neque partem indulgentiæ quærit, secundum S. Antonin. 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 4. & Nauarr. not. d. num. 2. Quia neque relictum, neque pars relictæ, sub conditione quæritur, nisi tota impleta etiam si pars impleatur, l. cui fundat. ff. de condit. & demonstrat.

De causa indulgentiarum.

CVm in d. Extranag. Vnigenitus, detestatur, dicitur commisisse thesaurum

indulgentiarum dispensandum per Petrum, & eius successores, proprijs & rationabilibus de de causis: videndum de causis rationabilibus.

Prima Conclusio. Ad indulgentias concedendas requiritur iusta & rationabilis causa, ex d. Extrauag. & communi sententia: Quia Dominus constituit Pontificem tanquam fidelem dispensatorem huius thesauri. Fidelis autem dispensator sine causa non distribuit, aliàs non dispensaret, sed dissiparet, ex quo fonte in cap. Cum ex eo de pœnit. & remissionibus, indulgentiæ indiscretæ damnantur: hinc indulgentia sine vlla causa concessa, est nulla.

Secunda conclusio. Ad indulgentias requiritur, vt causa sit sufficiens, & non vt æquiualens, Adrian. loc. citat. Sotus artic. 2. loc. cit. Nauarr. notab. 15. num. 8. Quia si causa requireretur æquiualens, non esset remissio, aut absolutio indulgentia, sed verè commutatio, quare nihil faceret auctoritas conferentis:

Tertia Conclusio. Sufficiens & rationabilis causa indulgentiarum, est commensuranda quantitati earum, ita vt maior indulgentia, maiori causa indigeat. capit. Ex ea de pœnit. & remission. & in Extrauag. Vnigenitus.

Quarta Conclusio. Indulgentiæ debent conferri in vtilitatem & bonum commune Ecclesiæ. Quia cum indulgentiarum thesaurus sit communis Ecclesiæ, nō debet nisi in eius vtilitatem, & bonum expendi, vt communiter

Doctores sentiunt. Quare indulgentiæ conceduntur, aut in fauorem fidei, aut ad conseruationem religionis, aut ad conuersionem infidelium, aut in publicos & pios vsus.

Quinta Conclusio. Quando causa indulgentiarum non est omnino, sed ex parte tantum sufficiens, indulgentiæ valebunt secundum proportionem causæ, & non quo ad illam partem, quæ causam excedit. Felin. in d. l. mon. de indulgent. Gabriel. super can. m. lect. 57, Caietan. in tractat. de indulgent. §. Nauarr. loc. citat. numer. 3. & alij alibi. Respondeo esse potest. Quia indulgentia concessa sine causa, tota nulla est, ergo quæ conceditur causam non sufficientem ex toto, sed ex parte nulla erit quo ad partem, quæ causam excedit. Quoniam sicut se habet totum ad totum, pars ad partem. Hinc infertur indulgentia minima de causa concessa, non tantum valere, quantum sonant, quia causa nõ commensuratur quantitati indulgentiarum. Deinde sequitur, semper esse vtile quærere indulgentias, cum semper valeant secundum proportionem causæ.

De dispositione requisita in eis, qui indulgentias lucrifacere volunt.

PRIMA *Conclusio.* Qui consequi vult indulgentiam concessam, debet penitentiam confiteri, & subire omnia opera, quæ ad eam

quærendam imponuntur in Bulla, aut literis, constat ex superioribus & communi sententia.

Secunda Conclusio. Eo tempore, quo quis percipere debet indulgentias, necesse est, vt sit in gratia. Quia membrum mortuum nullum suscipit viuentis corporis influxum. Qui autem in peccato mortali existit, membrum mortuū est. Nullum ergo influxum meritorum Christi, & sanctorum per indulgentias recipit. Deinde semper in bullis additur, verè pœnitentibus, & confessis.

Tertia Conclusio. Quando idem est tempus operis, & acquisitionis indulgentiæ, tunc necessarium est, vt opus fiat in gratia. Est Caietan. in tract. de indulgent. cap. 9. Soti loc. cit. artic. 3. Nauarr. in Notab. 19. & aliorum alibi, & probatur homo debet esse in gratia quâdo consequitur indulgentias, ergo & quando opus impositum facit, quia huiusmodi opus est proximum, & quasi intrinsecum acquisitioni indulgentiæ. Sic quando in festo Paschæ, indulgentia conceditur interessentibus solemnî benedictioni Pontificis apud S. Petrum, quicumque eam capere volunt, quando benedictionem capiunt, in gratia esse debent.

Quarta Conclusio. Etsi optimum sit, vt homo semper sit in gratia, quando facit opera requisita ad indulgentiam consequendam,

I 4 non

non est tamen necessarium, vt omnia impleantur in statu gratiæ, modo singulæ actiones sint moraliter bonæ, & vltima earum pars, quæ proxima est acquisitioni indulgentiæ fiat in gratia Nauarr. loc. cit. num. 19. S. Antonin. part. tit. 10. cap. 3. §. 5. Felin. in d. ferm. Syluest. in verb. indulgentia. quæst. 10. Sotus & alij aibi, est contra Caietan. Hinc quando in indulgentia dicitur. Qui diebus Mercurij, Veneris & Sabathi ieiunauerit, Ecclesiam S. Matthæ Visitauerit, confessus fuerit, & Dominica sequenti communicauerit, & pro tali necessitate Ecclesiæ orauerit, consequetur, plenariam indulgentiam, si die Dominico in gratia fuerit, quando est tempus acquisitionis, recipiat indulgentias, etiam si fuerit extra statum gratiæ, quando ieiunauit, Dictum in conclusionibus, modo singulæ actiones, quibus indulgentiæ quærendæ, sint mortaliter bonæ: quia actionibus mortaliter malis, secundum communem sententiam nemo indulgentias recipit.

Quinta Conclusio. Illi, qui parum aut nihil curat operibus pœnalibus satisfacere, & penam purgatorij redimere, nihil proficiunt indulgentiæ, Caietan. & Iosephus Angles de indulg. Quia qui sibi non fert opem cum possit auxilio & ope amicorum est indignus. Ad hec ex arario publico non debet succuri eis, quia cum possint de suo æs alienum soluere, non

lunt, quoniam per id daretur materia negligentia & delicti: cap. Ex parte, de consuet. & l. conueniri. ff. de pact. dot. Ergo ex thesauro Ecclesie, qui ararium publicum est, non debet solui pro negligentibus. Persuadendum ergo omnibus Christianis, vt faciant fructus dignos poenitentia, exerceant se in operibus bonis, & his studeant satisfacere pro peccatis, & quando occasio se offert indulgentias acquirere laborent.

Dubium. An indulgentia possint concedi animabus in purgatorio existentibus.

DE hoc Dubio legendi Alexand. Halen. 4. par. q. 83. memb. 5. S. Bonau. in 4. fend. d. 20. q. 5. S. Thom. in d. 45. q. 2. art. 3. Richard. in d. 20. art. 3. q. 3. Palud. ibidem. q. 4. artic. 3. Gabriel super canonem missae lect. 57. in litera L. Caietan. Tom. 1. tract. 16. quaest. 5. & 6. Nauarr. in commentario de Iubilaeo, notab. 22. & alij alibi.

Prima Conclusio. Pontifex potest animas in purgatorio iuuare indulgentijs. In primis constat haec conclusio auctoritate omnium DD. citatorum. Deinde facto Pontificum, Paschasius Quintus dedit indulgentias plenarias per modum suffragij animae in purgatorio pro qua quis celebrauerit, aut fecerit celebrare, quinque missas in capella Ecclesiae sanctae Praxedis Romae, atque has indulgentias

tias successu temporis, alij Pontifices con-
marunt. Conseruatur enim in illa Ecclesia
lumna ad quam Saluator noster in domo
lati ligatus fuit & flagellatus: Similes in-
gentiæ sunt concessæ visitantibus Ecclesia
S. Laurentij extra muros, singulis quartan-
rijs totius anni. Et pares sunt concessæ
brantibus pro animabus, in quibusdam ab-
bus priuilegiatis apud S. Gregorium in

Secunda Conclusio. Romanus Pontifex
potest animabus purgatorij concedere in-
gentias per modum auctoritatis, siue iudi-
ria potestatis, directè eas absoluendo. In
Calderinus in cap. Nostro de pœnitentia
mission, col. 20. Richard. loc. cit. Nauarra
notab. num. 5. Gabriel in d. lect. Ioseph. A
les in florib. 2. part. in 4. in q. de indulgen-
difficult. concl. 2. & alij alibi. Quia animas
gatorij sunt extra iurisdictionem Ecclesie
litantis, in quam Pontifex solum iudicium
absoluendi potestatem habet.

Tertia Conclusio. Pontifex concedit de-
ctis in purgatorio indulgentias, per mo-
suffragij. Hæc Conclusio est communis
citorum & aliorum, & aperta est, ex
auctençicis Pontificum, in quibus sic con-
serunt Ecclesijs prædictis, & alijs. Non
suffragij intelligitur auxilium Ecclesiasticum
quod per opera pia, vt satisfactoria sunt,
functis conceditur: Et indulgentiæ dicuntur

mortuis per modum suffragij concedi, quia cōceduntur, vt profint eis eo modo, quo suffragium Ecclesiasticum satisfactorium prodest, scilicet satisfaciēdo pro debito eorum, & soluendo pœnas ab eis debitas, Christi & sanctorum satisfactionibus in Ecclesiæ thesauro reconditis; Et ideò vt rectè Gabriel ait, per modum suffragij, non tollit efficaciam indulgentiarum, ita quod opus illud pro quo dantur indulgentiæ factum pro animabus, non plus valeat animabus, ac si pro eis factum esset seclusis indulgentijs: Sic enim frustra daretur indulgentiæ pro animabus, & nihil amplius proficeret, quàm si suffragiū & opus ipsum eis applicatū fuisset in satisfactionem, q̄ est contra Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ mentem. Quod ergo additur per modū suffragij, excludit modū iudicialiæ potestatis, secundū, Conclusionem in ordine secundam. Latius Gabriel, & Nauarrus explicant,

CAPVT XV.

DE SACRAMENTO EX- tremæ vnctionis.

Quid est Sacramentum extremæ vnctionis?

EST vnctio olei consecrati, à presbytero facta,

facta, in certis partibus infirmi, sub certa
borum forma. Dicitur autem extrema
ctio, quia datur in extremis agentibus, &
alias vnctiones.

Quæ est materia?

OLEVM oliuarum ab Episcopo consec
tum. Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. de
cramento extremæ vnctionis.

Quæ est forma?

HÆc, est Concil. Florent. Per istam
ctionem, & per suam pijsissimam mis
cordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid
visum deliquisti, quando oculi inunguntur,
quando aures, dicendum per auditum, qu
do nares, per odoratum, quando os, per
vitium, quando manus, per tactum, qu
pedes, per incessum, quando renes, per
rem libidinis. Sed de modo huius vnctio
habent pastores in suis agendis.

In quibus locis debet fieri vnctio?

DE necessitate in quinque: oculis, auribus,
manibus, naribus, & labijs; Secundum
consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, et
in pedibus, & renibus: Mulieribus tamen pro
pter honestatem renes non vnguntur. Si
tem quis careat dictis membris, vnctio facie
da in locis vicinis. Cauendus in administ
tio

tionem huius sacramenti error quorundam indoctorum, qui tempore pestis existimant sufficere vnctionem fieri in vna, aut altera partibus: Cum tamen secundum veritatem necessarium sit ad sacramenti essentiam quinque dictas partes vngi.

Quibus hoc sacramentum conferendum?

IN FIRMIS adultis, laborantibus periculo mortis, quando probabiliter dubitatur de vita. Non reiteratur hoc sacramentum vno eodemque durante morbo. Si autem infirmus semel vnctus conualescat, & iterum incidat, potest de nouo inungi. Vt communis DD. opinio tradit, Concilium Trident. sess. 14. capite 3. de sacramento extremæ vnctionis determinat. Dubium autem esse potest. an sit dandum etiã vulneratis ad mortem? Respondetur quod sic, Iosephus Angles in floribus de extrema vnctione, articulo 4. & post alios Candelabrum aureum: de sacramento vnctionis. au. 22. & Concilium Mediolan. 4. part.

Qui sunt effectus huius sacramenti?

REMISSIO peccatorum, collatio gratiæ, confortatio animæ contra tentationes Dæmonis in illa hora maximè insidiantis, faciliior morbi, & mortis tolerantia, ac denique sanitas corporalis, si id saluti animæ expediat. Jacob. 5. & Concil. Trid. loc. cit. cap. 2.

Quis

Quis minister huius sacramenti?

SACERDOS ritè & Catholicè ordinatus
Iacob. 5. Infirmatur quis ex vobis, in-
presbyteros Ecclesiæ & orent super eum,
guentes eum oleo in nomine Domini,
Concil. Trident. cap. 3.

*An Extrema vñctio sit de necessitate
salutis?*

NON est de necessitate salutis: Si qui-
men ex contemptu, vel culpabili ne-
gentia, in articulo mortis non petat, sine
pa graui non est. Quando sacerdos vocat
infirmum animaduertit eum iam agonizantem
& proximum morti, non seruet ordinem
nualis, siue agenda circa solemnitatem &
ces antecedentes vñctionem, sed statim a-
ma & vñctionibus incipiat, ne sine sacra-
to infirmus decedat, & deinde his præ-
suppleant solemnitatem omissam eum præ-
bus sequentibus.

CAPVT XVI.

DE SACRAMENTO

Ordinis.

Quid est Ordinis sacramentum?

EST, quo quibusdam verbis & rebus

ditur potestas spiritualis ordinato conficiendi
Eucharistiæ sacramentum, vel administrandi
in ordine ad id.

Quæ est materia?

EST illud, per cuius traditionem confer-
tur ordo. Exempli gratia Presbyteratus,
porrectio calicis cum vino, & patenæ cum pa-
ne, Diaconatus, liber Euangeliorum, Subdia-
conatus, liber Epistolarum, & calix vacuus,
&c. Ostiariatus, clauës, Lectoratus, liber le-
ctionum, Exorcistæ, libellus exorcismorum
& adiurationum, Acolitatus, candelabrum cū
candela extincta, & vrceolus vacuus, &c.

Quæ formæ?

SVNT verba Episcopi, per quæ exprimitur
actus traditionis, & potestatis circa rē tra-
ditam. Debet autem contractus materiæ si-
mul moraliter fieri, quando verba formæ
proferuntur.

Quot sunt Ordines?

SEPTEM secundum Theologos, quorum
quatuor minores, & non sacri, Ostiaria-
tus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolitatus,
ac tres maiores & sacri, Subdiaconatus, Dia-
conatus, & Presbyteratus. Qui per excellen-
tiam & antonomasiam dicuntur maiores,
quia impediunt matrimonium contrahen-
dum,

dum, & dirimunt contractum, & habent
tum castitatis solemne annexum, & prom
accedunt, ad conficiendum sacramentum
Eucharistiæ: Hæc autem minoribus min
conueniunt.

Prima tonsura non est ordo, sed dispositio
ad ordines. Episcopatus autem est gradus Sa
dotij. Est enim Episcopus summus Saacer

*Dices, Sunt septem ordines, ergo sunt septem
menta, & sic maior erit sacramento-
rum numerus?*

RESPONDEO. Licet septem sint ordines,
tamen vnum efficiunt sacramentum,
omnes referuntur ad vnum finem, scilicet
secrationem corporis Christi, & in facere
consummantur.

Que sunt singulorum ordinum officia?

OSTIARI officium est, clauis, te
conseruare, ianuam custodire, exclu
re ab Ecclesia indignos, & dignos admitti.

Lectoris, legere in Ecclesia veteris & noui
testamenti libros, clarè & distinctè, & fidei
fidei Christianæ rudimenta proponere. Exorcista,
exorcizare, & super catechumenos,
eos, qui habent spiritum immundum, nomen
Domini inuocare, & adiurare, vt egrediantur
Spiritus immundus.

Acolyti, Diaconum & Subdiaconum

ministerio sequi, præparare ampullas vini & aquæ, & porrigere subdiacono, ferre cereos ante Sacerdotem, & eos seruare, quando Euangelium legitur. Subdiaconi, Diacono inferuire, sacra vasa, panē & vinum præparare, Sacerdoti subministrare aquā pro ablucendis manibus. Et in missa Epistolam legere, quod propriè ad Subdiaconum pertinet. Diaconi, est ministrare in sacro Sacerdoti panem & vinum, Episcopum sequi, & concionantem custodire, Sacerdoti sacrificanti assistere, legere Euangelium, & prædicare verbum Dei ex commissione, sine solemnitate Sacerdote impedito.

Sacerdotis, est consecrare corpus & sanguinem Christi, absoluerè à peccatis, pascere populum Dei, opere & doctrina.

De effectibus?

EFFECTVS sunt hi. Gratia, eiusq; augmentum, vt quis idoneus sit minister & Character, qui de necessitate præsupponit characterem Baptismi, non autem Confirmationis. Vnde si quis ordinaretur non baptizatus, ordo non teneret.

De ministro?

MINISTER ordinarius, est solus Episcopus. Possunt tamen minores conferre ex commissione, vel priuilegijs, Cardinales

K non

non Episcopi, & multi Abbates suis subditis.
Si autem Episcopus sine licentia, aut literis
missorij ordinat alterius subditum, ordo
net, ordinatus tamen est suspensus.

DE SYSCIPIENTIBVS
Ordines.

*Quae requiruntur in ordinandis, & qui pro-
hibentur ordinari?*

IN primis necessaria est bonitas, in ordina-
do: Qui enim suscipit quemcunque ordina-
torem maiorem in peccato mortali, mortaliter pec-
cat. Alias condiciones ponit Apostolus
Titum 1. Deinde requiritur aetas sufficienter
Ad subdiaconatum 22. anni, ad diaconatum
23. ad presbyteratum 25. requiruntur non per-
fecti, sed incepti, & ad sacerdotium promo-
ri potest qui per diem, aut duos dies inceptus
annum ut docent Simon Maiolus Episcopus
libro 1. de irregularitate. cap. 30. & post alios
Henr. Henriquez tom. 1. moralis Theologiae
lib. 13. cap. 38. & dicit Salmanticae Theologiae
& Iuris peritos consultos sic respondisse. E-
dem est ratio de alijs ordinibus. 3. Scientia
ta, ut quis possit rite exercere actus sui ordina-
4. Masculinus sexus, si enim foemina ordina-
tur, ordo non tenet. 5. Necessario praesupponitur
Baptismus. 6. Multi alij prohibentur
ordinari a iure, ut Bigami, solemniter po-

tentes, Neophiti, id est, noui Christiani: Curiales, serui, corpore vitati, Illegitimi, infames, Hermaphroditæ, excommunicati, suspensi, Interdicti, & omnes irregulares.

CAPVT XVII.

DE SACRAMENTO

Matrimonij.

Quid est Matrimonium?

EST legitima maris, & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens.

Quæ causa efficiens matrimonij?

MVTVS coniugum & voluntarius consensus, expressus per verba, vel signa præsentia, ex Concil. Flor. & cap. Tuas. de spõsâ duorum. & can. Sufficiat. 27. q. 2.

Quæ est materia?

PERSONÆ ipsæ, & earum actus externi, quibus corporum traditio fit, & recipitur.

Quæ forma?

VERBA ipsa coniugum, vel signa, quibus consensum exprimunt, exempli gratia,

K 2

gratia, Catharina accipio te in meam vi-
rem, & ipsa è contra Paule accipio te in
um virum.

Quis minister?

PERSONÆ contrahentes, quia ipsæ
ferunt verba. Debet autem ex præsen-
Concil. Tridentin. adesse proprius parochus
vel alius de ipsius licētia, vt adhibeat solem-
tates consuetas in Ecclesia, cum duobus,
tribus, vel pluribus testibus.

Qui sunt effectus Matrimonij?

GRATIA, vt quis legitimè eo vtatur,
lis procreatio, ac educatio, & indissolu-
le vinculum.

Matrimonium quotuplex est?

DVPLEX. Ratum, & cōsummatum.
tum est, quod firmatum est vtriusque
iugis consensu de præsentī, in facie Eccle-
nec tamen adhuc superuenit copula car-
Consummatum est, quando accessit copu-
la carnalis, & opere completum est.

De sponsalibus?

*Sponsalia
quid sint.*

SPONSALIA sunt futurarum nuptiarum
promissio, & matrimonium præcedens
tanquam quædam dispositio. Adhibentur
tem propter magnitudinem negotij suscipiendi.

endi, & cognitionem impedimentorum, quæ
occurrere possunt. Dubitari à quibusdam so-
let. An sponsalia, de quibus hîc loquimur,
clandestinè contracta, id est, sine Parocho &
testibus, sint nulla & inualida post Concilium
Tridentinum. Respondetur breuiter Con-
cilium non inualidare sponsalia clandestina de
futuro, sed matrimonium de præsentî. Mar-
tinus Nauarrus in Manuali confessoriorum,
capite 25. numero 144. & libro 4. consil. in ti-
tulum de sponsalibus consilio 38. numero 3. &
post plurimos Hispaniæ DD. Henricus Hen-
riquez tomo 1. moralis Theologiæ libro II. ca-
pite 5. §. 8. & sic resoluit congregatio Cardina-
lium Anno 1570. ad Episcopum Tornacensem
& Concilium Bracharense de anno 1566.
actione 4. capite 33. & 36. Nec militat eadem
ratio quæ in matrimonio est, quod nulla hu-
mana auctoritate dissolui potest, multis one-
ribus plenum, & contractus tendens in publi-
cam vtilitatem, & ideò sine publica auctori-
tate & testimonio celebrari non debet.

Suntne sponsalia dissolubilia?

SVNT, & in multis casibus dissolui pos-
sunt.

Primo partium remissione. 2. Ingressu al-
terius in religionem. 3. Matrimonio de præ-
sentî contracto. 4. Si alter eorum in longin-
quam regionem proficiscatur, & non redeat

K 3 statuto

statuto tempore. 5. Superueniente affinitate vel cognatione spirituali. 6. Per iudicem defectum ætatis. 7. Si superueniat morbus contagiosus, vel notabilis deformitas, & mutilatio. 8. Per votum castitatis, & religionis. 9. Si alter eorum fornicetur, post contracta sponsalia: ad hanc causam reducimus hanc resin, quæ fornicatio spiritualis est: Idem iudicium, quando fornicatio præcessit sponsalia, & non fuit cognita secundum communem sententiam, si cognoscatur ante matrimonium contractum. 10. Si superuenit inimicitia capitalis. 11. Per omissionem aliquid rei, quæ promissa est, siue ob conditionem non adimpletam. 12. Ordinis sacri susceptio. 13. Propter morum alterius contractum asperitatem, vt si sit crudelis, nimis durus & asper. 14. Per famam canonici alicuius impedimenti. Tandem quoties aliqua causa rationabilis superuenit, quæ si præcessisset, non fuissent facta sponsalia. Tamen in his casibus ad dissolutionem, requiritur iudicis auctoritas, nisi causa dissoluendi sit manifesta & notoria. De hac materia vide Nauarr. in Manu. li. confess. cap. 22. à 25. Syhuestrum, Angelus & alios in summis, verb. Sponsalia, & Doctores iuris canonici in tit. de spons.

An sponsalia de futuro transeant, in matrimonium de presenti?

RESPONDEO, secundum iura antiqua, sponsalia per copulam carnalem subsequutam vxorio affectu, id est, cum intentione Matrimonium consummandi, transibant in Matrimonium de præsenti. Sed post Concil. Trid. cessat hoc, vt est videre in sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonij, per nullam subsequentem copulam transeunt, in verum Matrimonium: Quare si apud antiquiores legatur, sponsalia per subsequutam copulam fieri Matrimonium, id intellige secundum iura antiqua, quæ in hoc casu, sunt iusta de causa reformatà à Concilio.

Qua ætas requiritur ad sponsalia?

AD sponsalia contrahenda requiritur tempus septem annorum in vtraque persona: Ad Matrimonium verò desideratur in masculo ætas 14. annorum completorum, & in fœminis 12.

Quoniam sponsalia etiam inducta sunt, ad cognitionem impedimentorum, de impedimentis quod necessarium, exponendum est.

De impedimentis matrimonij.

DE hac materia vide Nauarr. à num. 32. capit. d. Sotum cum alijs in 4. sentent. à d. 34. Summistas in verb. Matrimonij impedimenta. Impedimentorum materia canonica est, & maximè spectat ad exterius forum,

K 4 necef-

necessaria tamen est aliqua eius cognitio Confessario: Quare breuiter de his impedimentis agemus.

Matrimonium non solum sacramentum est, sed etiam contractus. Matrimonij impedimenta sunt duplicia.

Matrimonium cum non solum sit sacramentum, sed etiam contractus, potest impediri auctoritate Ecclesie Catholice, vt fidei Catholica tenet, & praxis antiquissima, conuata in hac vsque tempora testatur.

Impedimenta Matrimonij sunt duplicia. Quædam enim impediunt & dirimunt: id est efficiunt, vt non solum contrahendo peccatum contrahatur, sed etiam contractum non valeat: & hæc impedimenta essentiam siue substantiam Matrimonij concernunt. Quædam verò impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum, id est faciunt, vt sic impediti peccent, si contrahant, valet tamen Matrimonium contractum, & hæc ad solemnitatem spectant. Impedimenta impediencia, dirimentia, sunt duodecim sequentibus verbis memoria gratia contenta.

ERROR, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas. Si sis affinis, si forte coire nequibus.

DE IMPEDIMENTIS ERRORIS, PERSONÆ, & CONDITIONIS.

ERROR in matrimonio potest contingere: Aut ratione personæ, vt si credatur quod

quodvna persona sit alia, aut q̄ sit primogenitus, cum tamen non sit: Aut ratione conditionis, vt si putetur liber, qui est seruus: Aut ratione fortunæ, vel aliarum qualitatū, vt si putetur diues, quæ est pauper, nobilis, quæ ignobilis, virgo quæ est corrupta, &c.

Prima Conclusio. Error personæ, matrimonium impedit, & dirimit. Quia hic error tollit consensum voluntarium, qui est causa efficiens matrimonij.

Secunda Conclusio. Error circa conditionem, dirimit etiam matrimonium, 29. quæst. 2. cap. Si quis liber, §. ijs ita, & communis opinio in capit. proposuit, de coniugio seruorum.

Tertia Conclusio. Error in bonis fortunæ, aut in qualitatibus coniugum, non dirimit, nec impedit matrimonium: Quia hic error non est circa essentialia, sed accidentalia matrimonij. De ratione autem contractus est, consensus circa essentialia.

Devoto.

VOTVM solemne castitatis in religione approbata, dirimit matrimonium & impedit. Solemnizatur autem votum in professione, secundum consuetudinem Ecclesiæ facta.

De cognatione spirituali.

COGNATIO spiritualis contrahitur in Baptismo, & Confirmatione. Hæc cog-

K 5 natio

natio spiritualis contracta est in Concil. Trident. sess. 24. ca. 2. de reformatione matrimonij, ad pauciores gradus: Quare antiquis, quibusdam agendis non est in hac materia adhærendum.

Statuit autem Concilium, ut vnus tantum vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus & vna, baptismum de Baptismo suscipiant, inter quos Baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem nec non inter baptizantem & baptizatum baptizatiq[ue] patrem & matrem tantum, ritualis cognatio contrahatur, &c. postea ca. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq[ue] patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.

Dubium. *An exempli gratia N. possit matrimonium contrahere, cum vxore patris sui defuncti?*

AGENDA Treuren. in tractat. de matrimonio in linea spiritualis cognationis videtur docere contrarium, dum in linea tenentis sub nigro, Tenentes cum suis vxoribus cognatis, & baptizantes cum suis vxoribus tandem subijcit. Concilium rubra abrogat. Respondetur, secundum iura antiqua non potuisse: At nunc post Concilium Tridentinum posse. Quia Concil. ut ex dictis patet

restrinxit cognationem spiritualementem ad baptizatum & baptizantem, patrinum, baptizatiq; patrem & matrem, nullam faciens mentionem vxorum baptizantis, aut patrini, contra dictam agendam. Quare Concil. non solum rubra ibi posita abrogauit, sed etiam nigra, secundum illam lineam, quantum ad vxores baptizatis, & tenentium, vt rectissime Nauarr. in Manuali, vbi sup. num. 36. & 38. & 39. tradit. Error ergo, vel vitio scriptoris, aut incuria Typographi, in dicta agenda commissus est.

De consanguinitate & affinitate.

CONSANGVINITAS est aliquarum personarum vinculum, ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum.

Affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum vna, cum consanguinea alterius copulam habuit.

Affinitas autem efficitur per copulam naturalem, tam licitam, quam illicitam. 35. q. 3. cap. Extraordinaria.

Consanguinitas & affinitas, ex licita copula vsque ad quartum gradum inclusiuè, impediunt matrimonium. cap. Non debet de consanguinitate & affin. & dirimunt etiam contractum: dictum (affinitas ex licita copula) quia ex illicita copula, tantum in primo & secundo gradibus dirimit, post Concilium

lium Trident. vbi supra cap. 4. Hic notandum ex Clement, i. de consang. & affinit. eos scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis matrimonialiter contrahere non possunt, excommunicationē incurrere. Quod etiam locum habet in clerico in sacris ordinibus constituto, qui celebrat huiusmodi contractum.

Pro faciliori modo cognoscendi gradus consanguinitatis sequentes regula notentur.

PRIMA. Supposita arbore quanto gradus distant personæ à communi stipite, tanto distat inter se, exempli gratia, duo fratres in primo gradu, quia à patre tantum gradu distant.

Secunda. Quando duæ personæ inæquiter distant à communi stipite, quoto gradus motior distat à stipite, tanto gradu distant inter se, vt Petrus distat à Ioanne duobus gradibus, & Nicolaus distat à Ioanne tribus, & Petrus distat à Nicolao in tertio gradu. de fin. de consang. & affinit.

Tertia regula. In linea, quot sunt personæ, tot sunt gradus, vna dempta, vt pater, filius, nepos, vna dempta, persona, duæ restant, & sunt duo gradus.

De cognatione legali.

VIDE in iure Canonico eod. tit.

Cogn

Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione alicuius in filium præueniens.

Ad adoptionem requiritur, vt persona adoptata, sit extranea, & assumatur secundum legis condiciones.

Cognatio legalis est triplex. Prima ascendentium & descendentium scilicet, adoptantis & adoptati, & descendentium eius, hæc durat etiam dissoluta adoptione, nec emancipatione tollitur.

*Cognatio
legalis tri-
plex.*

Secunda est quasi transfuersalis, inter adoptatum & filios naturales adoptantis, hæc durat durante adoptione, & filio naturali existente sub patris potestate, aliàs non, ca. i. de cog. leg.

Tertia est quædam legalis affinitas, inter vxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum, & adoptantis vxorem, & hæc etiam semper durat: Quælibet harum impedit & dirimit Matrimonium, iuxta Glossam & Doctores in d. cap. i.

De impedimento criminis.

VIDE Sotum in 4. d. 37. artic. 4. Nauarr. vbi supra numer. 46. Doctores cum textu in capit. Proposuit, de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

Tria sunt crimina ad mortem coniugis relata, quæ Matrimonium non modo impediunt, sed etiam contractum dirimunt.

Pri-

Primum. Est adulterium cum machinationem mortem alterius coniugis.

Secundum, Adulterium cum fide, quod adulter dat adulteræ, quod eam post mortem coniugis in vxorem ducet.

Tertium, Quando qui vxorem habet altera de facto contrahit, si tamen adulterium interueniat.

De disparitate cultus.

DISPARITAS cultus est quando fidelis contrahit cum infideli, id est, non baptizatus cum baptizato, vel contra.

Disparitas cultus modo dicto, impedit matrimonium, & contractum est nullum, etiam si fidelis cum catechumeno contraheret, quæst. 2. cap. Caue. & communis sententia tenet. Quia quamuis Matrimonium esse potest inter infideles, prout est contractus. Gaudemus, de diuortijs, non tamen quatenus sacramentum, quia omnia reliqua sacramenta præsupponunt Baptismum, iuxta cap. Vniuersaliens, de presbytero non baptizato, & communem sententiam. Si autem Catholicus hæretica, aut schismatica contrahat, licet potest contrahendo, tenet tamen matrimonium.

Gloss. communiter recepta 28. quæst. 1. cap. Non oportet. S. Thom. &

alij in 4. d. 39.

De vi, siue impedimento violentia.

MATRIMONIUM contractum violentia, aut metu iusto, siue cadenti in constantem virum, est nullum. cap. Veniens. I. & cap. Cum locum, de sponsalibus.

Metus autem cadens in constantem virum est, qui merito mouet virum fortem & constantem, vt faciat, quod cessante metu non faceret, huiusmodi est metus mortis, aut mutilationis, perpetuæ seruitutis, amissionis status, grauis & longi carceris, &c. Si autem quis alio metu leui, & cadente in inconstantem virum inducatur ad contrahendum matrimonium, tenet.

De impedimento Ordinis.

ORDO sacer, est impedimentum matrimonij, & dirimit contractum. Sunt autem vt supra dictum, tres ordines sacri, quos maiores appellamus, hinc omnes constituti in sacris, secundum fidem Catholicam, quicquid hæretici latent, sunt inhabiles ad matrimonium, cap. 1. & 2. Qui clerici vel vouentes, matrimonium contrahere possunt, & cap. 1. de cleric. conjugat. ad quod accedit vniuersalis Ecclesiæ traditio.

De impedimento ligaminis.

PER ligamen, intelligitur matrimonium præcedens, iuxta illud Pauli, alligatus es vxori,

uxori, noli quærere solutionem. Nullus enim potest contrahere cum alia, viuente prima si quis fecerit, fortassè quia primam mortuam putauit, certior factus de vita, tenetur reuertè ad primam, quia cum secunda matrimonium non est nullum, quod etiam locum habet, si secunda prima tantum matrimonium ratum fuerit & cum secunda consummatum.

De impedimento iustitia publica honestatis.

HOC impedimentum oritur ex sponsibus validis post Concilium Tridentinum. Est autem impedimentum inter fratrem, aut maritum, & omnes cognatos sponse suæ, aut mariti, ab Ecclesia propter quam honestatem inductum: Exempli gratia Petrus & Maria cõtraxerunt sponsalia, antequam matrimonium Maria moritur, Petrus ob hoc impedimentum, non potest contrahere cum altera, si prius ore Mariæ relicta: Olim extendebatur hoc impedimentum, vsque ad 4. gradum, nunc non excedit primum, Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de reformatione matrimonij.

De impotentia coeundi.

DE hoc impedimento agunt Doctores canonum in tit. de frigidis & maleficis. Theologi in 4. d. 34.

Prima Conclusio. Quando frigiditas siue

potentia coeundi alterius coniugis, perpetua est, matrimonium est nullum, & sic scienter contrahens peccat. capit. Consultationi de frigidis & malefic. Quia qui ita est impotens, non potest reddere debitum, quod est contra finem & usum matrimonij. Hinc matrimonium contractum cum Eunuchis, est nullum, si seminare non possint.

Secunda Conclusio. Quando impotentia coeundi sequitur matrimonium ratum, ante eius consummationem non dissolvit illud. Quia matrimonium ratum, secundum Catholicam & communem sententiam, non solvitur nisi per ingressum religionis.

Tertia Conclusio. Quando impotentia est temporalis, & accidentalis, ita quod possit illi per artem medicorum, sine periculo mortis subueniri, Matrimonium est validum, capit. Ex literis, & cap. Fraternitatis, de frigid. & malefic.

Quarta Conclusio. Si impotentia potest cognosci statim, quod sit perpetua, statim iudicio Ecclesiae sunt separandi: si vero nisi per cohabitationem, expectandum est triennium, quo tempore debent actu coniugali fideliter operam dare: quo finito si matrimonium non fuerit consummatum, utroque vel altero tantum petente, separandi sunt, ut definitur in cap. Laudabilem, de frigid. & malef. à Caesestino. 3.

L

Quinta

Quinta Conclusio. Maleficium perpetuum etiam impedit & dirimit matrimonium, quando impotentia, arte Diaboli effecta est, cap. eod. tit. Si autem temporale sit non impedit, quia sic impeditus, sublato impedimento potest debitum reddere.

Maleficium autem non est maleficium diuendendum, ut alibi traditum, sed ieiunijs, orationibus, Eleemosynis, alijsque pijs operibus. can. Si per Sortiarias atque maleficas, & c. 33. q. 1.

Sexta Conclusio. Si alter coniugum sit impotens, & ambo simul velint habitare, potest in d. cap. Laudabilem, ubi dicitur. Si am consentiant simul esse, vir eam, et si non virum, habeat sororem.

Septima Conclusio. Si impotentia iudicata perpetua, et si cohabitare possint, iuxta per tam conclusionem, mortaliter tamen peccant in amplexu, & mutua oscula sibi inuicem prestantes: Quia tales actus sunt illiciti, nisi inter coniunctos matrimonio: at ubi est impotentia perpetua Matrimonium antecedens non potest esse Matrimonium. Alia tamen ratio est, quando impotentia est temporalis, Matrimonium iam ratum, aut etiam consummatum subsequitur.

Hic quari potest: An furia siue amentia dirimat Matrimonium?

RESPOND. si amentia sit perpetua, & Matrimonium antecedit, nullum reddit Matrimonium, quoniam amens non potest habere consensum legitimum ad contrahendū, qui est causa efficiens matrimonij. Si autem perpetua amentia succedat matrimonio rato, aut consummato, Matrimonium est validum, nec quo ad vinculum dissoluitur nisi morte, aut si tantū ratum, religionis ingressu. Quando autem amentia est per lucida interualla, vel quando ratione amens utitur, potest contrahere Matrimonium: quia tunc habet sufficientem consensum. Quæret aliquis circa hæc matrimonij impedimenta: Quid si quis in facie Ecclesiæ seruata forma Concil. Trident. Matrimonium bona fide contraxit, sed post contractum elapso dimidio anno, aut integro, aut annis depræhenditur aliquod, occultum impedimentum, e. g. consanguinitatis, vel affinitatis in quarto gradu: ob quod matrimonium contractū nullum fuit, & adhuc est, quid remedij in casu occurrenti adhibendū?

Quoniam hic casus vt experientia didici aliquando occurrit, & pastores ignorant nunquam quid consulere debeant, statui hic latius declarare, quæ faciant ad decisionem, pro qua sequentia sunt mente tenenda.

Primum. Quod si impedimentum impediens & dirimens licet occultum fuit tempore contractus, Matrimonium est nullum &

inualidum, ideoque alter coniugum simul
que impedimentum cognouerit, non potest
debitum petere, nec etiam temporis diu-
nitate tale Matrimonium conualescit.

Secundum. Tale Matrimonium nullum
impedimentum, non incipit valere per di-
spensationem Papæ, aut alterius habentis po-
testatem ab eodem ad dispensandum etiam
cohabitent deinceps: Quia dispensatio ta-
tum tollit impedimentum, habilitatque per-
sonas, ut aptæ sint ad contrahendum. Pon-
fex, aut alius cui commissa est dispensandi
testas, non potest supplere, consensum
naturæ requisitum ad matrimonium. Pan-
mitan. & Ioan. Andr. per cap. Ex nouo. Quod
filij sint legitimi. Nauarr. in Manuali conse-
sar. capit. 22. nu. 86. Vnde sequitur quod
bita dispensatione, aut alias sublato impe-
mento necessarium sit, de nouo contrahere
Matrimonium, ut communiter de hac re
bentes tradunt & praxis Romanæ
docet.

Tertium. Ad contrahendum sufficit, ut
coniugum qui scit impedimentum, occurrat
impetret dispensationem. Nauarr. in d. ca.
22. num. 47. & ex professo lib. 4. consilium
de sponsalib. consilium 14. nu. 2. & Henric. He-
riquez. tom. 1. moralis Theologiæ cap. 3. §.
lib. 11. Quod his fundamentis Nauarr. in
consilium comprobatur. Primo, quia qui vult
videt

videtur etiam velle id quod necessariò sequitur ex illo. l. 2. de iurisdic. omn. iudic. capit. præterea, de offic. deleg. At dispensatio concessa vni personæ ad contrahendum cum alia, nihil valeret, nisi extenderetur ad illam, vt clarum est. secundò, dispensatio extenditur ad id quod necessariò illi annexum est. Gloss. notab. in capit. Si quis in clero. 7. quæst. 1. & cap. Quia in tantum, de præbend. Tertio. Cum Papa dispensat cum altera contrahentium persona, intendit etiam dispensare cum vtraque; argum. capit. Translato. de constitut. capit. Si quis abiecerit. 2. quæstione 3. cum illæ dispensationes sint inseparabiles.

Quartum. Habita dispensatione ad iterum contrahendum non requiruntur de nouo denunciationes, nec præsentia Parochi, & duorum testium, sed sufficit quando vterque coniugum de impedimento sciunt, vt occultè inter se consensum renouent adhibito aliquo signo, vt Pius Quintus, teste Nauarro in Manuali confessoriorum, capit. 22. num. 70. declarauit. & ait, Nauarr. sacrum pœnitentiariæ pratorium frequenter hac declaratione vtitur: aut saltem per copulam carnalem affectu maritali reualidare intendant. Quod si autem alter coniugum ignoraret impedimentum fuisse, nec Matrimonium inualidum, oportet vt ignorantibus significetur saltem in genere Matrimonium esse nullum, & virtute illius non

esse obligationem ad continuandum, & sic de nouo necessarium fore consentire in Matrimonium ad conscientiae tranquillitatem: & tunc consensum mutuum ambo verbo, & signo exprimant, & renouent Matrimonium contrahitur. Pro his faciunt Scot. in 4. d. Richard. ibidem. Supplementum Gabriel. ead. d. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. Caietan. tom. opusc. tract. 12. quæst. 2. Nauarr. in d. cap. num. 47. & in d. titulo de sponsalibus Conclio 37. Henriquez vbi supra. Quando autem periculum foret, quod impedimentum publicum fieret, probareturque in iudicio, aut ageretur ad dissolutionem in foro exteriori, tunc fieri deberet revalidatio coram parocho & testibus. Sed eo periculo cessante id non de necessitate requiritur, sicut nec noua licentia Episcopi: Cum hic casus censeatur de iure receptus, nec contineatur generali decreto Concilij, vt latius Henriquez profecquitur.

De impedimentis impediens, non autem dirimentibus.

SVNT hæc sequentia.

I. Interdictum Ecclesie. Non enim licet Matrimonium contrahere, ab Aduentum Domini vsque ad diem Epiphaniæ, & à festo 4. Cinerum, vsque ad octauam Paschatis inclusiue. In alijs temporibus licitum est celebrare nuptias, vt statuit Concil. Trident. f. 24. cap.

24. cap. 10. de reform. Matrim. Huc etiam refertur, quando Episcopus, Iudex, aut Parochus alicui prohibet ob aliquod impedimentum, aut iustam causam.

2. Votum simplex castitatis. cap. Si nupsit virgo d. 72. & cap. Rursus. Qui clerici vel vouentes: Quia vouentibus virginitatem attestante S. Hieronymo, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.

3. Sponsalia iusta, secundum iustitiam impediunt Matrimonium cum alia, quia fit iniuria priori sponsæ, frangendo illi fidem.

4. Catechismus, ut qui tenet aliquam ad Catechismum ante Baptismum, prohibetur cum illa contrahere.

5. Incestus, tam cum cognata, quam affini, cap. 1. & 2. de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

6. Vxorididium, cap. Admonere 33. q. 2.

7. Raptus alienæ sponsæ, cap. Statutum 27. q. 2. Quod tamen per Concil. Trident. vbi supra cap. 6. factum est dirimens, quam diu raptus in potestate raptoris manserit.

8. Proprij filij de fonte susceptio eo animo, ne vxor debitum exigere possit. 30. q. 1. ca. Eor.

9. Presbyterididium, cap. qui presbyterum, de pœnit. & remiss.

10. Solemnis pœnitentia iniuncta & facta, cap. De his, & c. Antiqui, 33. q. 2.

II. Matrimonium scienter cum monito
contractum. 27. q. 1. cap. Si ergo qui,

CAPVT XVIII.

DE MATRIMONIO CONTRA *et sine consensu parentum.*

QUONIAM aliquādo minus exercitati
Theologia & iure titubant circa tale Ma-
trimonium propter variorum variam doctri-
nam, quid catholicè sentiendum, paucis
statui resolucere.

Prima Conclusio. Filius & filia grauiter peccant, si absque scientia & consensu parentum sub quorum cura sunt, Matrimonium contrahant, nisi iusta & rationabilis causa excuset. Hæc est communis DD. Paludan. in 4. d. 2. q. vlt. Soti d. 29. q. 1. art. 4. Victoria in summ. de sacram. de Matrim. num. 250. Nauarr. Manuali confess. cap. 14. nu. 15. Bellarm. tom. 2. controuers. lib. de Matrim. c. 19. & aliorum alibi. Probatur in primis auctoritate præcepti de honore parentum. Neque enim negandum est filium magnam iniuriam parenti inferre, si statum Matrimonij immutabilem sine eius consilio & consensu assumat nisi causa iniuriam urgeat. Confirmatur cap. Honorantur. 32. c. 2. ex D. Ambrosio in lib. 1. de Abraham. cap. vlt. & ibidem capit. Mulier. & fortius probatur

bet capit. i. & capit. Nostrates, & concordant leges ciuiles. l. Viduæ. & l. In coniunctione. C. de Nuptijs. l. 2. ff. de ritu nuptiarum. §. i. Institut. de nupt. & alibi. Imo & naturalis ratio suadet, vt parentum consensus accedat, vt Plato libr. 6. de legibus, & illud Euripidis allegatum à D. Ambrosio vbi supra. Cum in persona mulieris ait: Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit. Hoc enim non est meū, satis indicant. Exempla etiam nobis suppeditant sacræ litteræ. Isaac accepit vxorem quam pater approbabat. & Rebecca eius vxor patris consilium itidem secuta, dum eum in virum duceret. Genes. 24. Ambros. loc. cit. His accedit quod parentibus commendatur cura de Matrimonio prolium. Exod. 34. & Deuteron. 7. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo. Dictum (nisi iusta & rationalis causa excuset) Quia quando causa subest iusta, aut pater irrationabiliter est inuitus, filius potest etiam sine peccato contra eius voluntatem nubere. Eadem est ratio, si pater negligeret prospicere filijs de honesto Matrimonio, aut non esset tanti iudicij, vt possit consulere vtilitati suorum.

Secunda Conclusio. Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum secundum Ecclesiæ Catholicæ formam absque consensu parentum est validum, & firmum. Hanc amplectuntur omnes Catholici loc. cit. & confirmata est à

Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de Matrimonio. Ratio etiam manifesta est, Ad Matrimonij essentiam requiruntur consensus contrahentium, intentio ministri, Materia & Forma, quę omnia habentur in Matrimonio contracto absque parentum voluntate. Conclusionem tenent multi hæretici ac etiam aliqui iurisperiti. Lutherus, Kemnitius, Quinus, & alij quos Bellarmin. vbi supra con-
tat, & eorum argumenta dissolvit, & ex Iurisperitis Chassan. in Catalogo glorię mut. part. 12. considerat. 36. Ioan. Odeldorp. 4. de se action. 26. act. Ioan. Schneideuin. in In-
de nupt. & alij alibi. Ex hac conclusione
citur etiam à veritate alienam esse eorum sen-
tentiam qui volunt matrimonium absque pa-
rentum consensu à filijs contractum, resolu-
sententia posse, modo per carnis copulam
non fuerit consummatum, aut vt alij loquuntur,
quando res adhuc est integra, & concubitus
nec dum subsequutus est. In hanc sententiam
& à fide alienam sententiam inerunt. C. de
ra. lib. 1. Miscellan. cap. 17. Molinaus in ad-
ad Decium in cap. Ecclesia S. Marię de con-
stit. Duarenus in ca. 2. tit. soluto matrimonio
& alij quidam, sed veritas in contrarium.
Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non
separet. Ergo etiam si concubitus non in-
cesserit humana sententia non potest resolu-
di contractus Matrimonij, cum sit indissolubilis.

bilis, & sic Romana & vniuersalis Ecclesiæ auctoritas fanciuit in Concil. Trident. in d. cap. 1. his verbis: sancta synodus anathematice damnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Etsi videantur aliquæ leges ciuiles ob stare, eæ tamen interpretandæ sunt, quod sentiant honestum non esse Matrimonium contrahere sine consensu eorum, sub quorum cura viuimus, nō tamen irritant, etsi irritarent, tamen in hoc non haberent effectum, & canonibus ecclesiasticis essent abrogatæ.

Tertia Conclusio. Filia Matrimonium contrahens in facie Ecclesiæ, etiam sine licentia patris, non potest ab eodem iure exhæredari; Probatur Conclusio. Si filia possit exhæredari eam ob causam, tolleretur ea libertas quæ ad Matrimonium requiritur, non enim auderet nubere cui vellet: Atque sic sentiunt Hostiens. Panormitan. & alij in cap. 1. de desponsat. impuberum. Ias. in Authent. sed si post. col. 2. C. de inoffic. testam. Alexan. conf. 97. volum. 1. & hæc communis est opinio, auctoribus Panorm. in d. cap. 1. Decio in d. cap. Ecclesia S. Mariæ, num. 39. Felin. ibid. num. 59. Couarr. in 4. de Matrim. 2. part. cap. 3. §. 8. num. 5. qui addit hunc communem locum habere, etiam si filia nubat turpi, vel indigno
ante

ante ætatis annum vigesimum quintum pater vellet eam tradere in vxorem a quo no viro congrua constituta dote: ob libertatem quæ in coniugali consensu requiritur. Potius enim permittenda est hæc quæ patri indirectè videtur fieri, quam libertas Matrimonij impediatur. Ita Ioan. mol. & Alexand. in l. i. num. 32. ff. soluto trim. Decius in l. Nuptias. ff. de reg. iuris. Peg. in tract. de dote. part. 1. q. 13. Couarr. quidam contra Gloss. in cap. De raptoribus. 36. q. 1. & aliam in d. Authent. sed si post etiam quidam Doctores sequuntur scilicet filiam à patre posse exhæredari, quæ tunc indigno ante 25. annum sine patris consensu nupserit.

Quarta Conclusio. Quando filia contra patris voluntatem nupsit viro ignominiositer non tenetur ei dotem constituere, etiam si eam filia marito promississet. Gloss. in d. De raptoribus, & ibidem Archidiac. Couarr. & Anton. in cap. Accedens. de procurat. in l. i. ff. Solutio Matr. Couarr. qui post aliter tenetur hoc communiter receptum. Quod si procedit, si filia, vel maritus esset inopes, vt congrua alimenta vterque haberet, tamen pauperes essent pater cogendus ad præstandum alimenta filię, arg. text. in d. Cum haberet de eo qui ducit in Matrim.

Quinta Conclusio. Quando filia sine parentis consensu etiam ante vigesimum quintum annum nupfit digno, si filia dotem marito promisit, pater tenetur & iure compellitur ad eiusdem solutionem. Panormit. in d. cap. 1. de desponsat. impuber. & in consil. 12. incip. Casus talis est. vol. 1. Decius in d. l. Nuptias. Ias. in d. Authent. sed si post. Campeg. & Couarr. ubi supra. Capella Toloss. decis. 289. & alij cōmuniter alibi: De his omnibus conclusionibus latius Couarr.

CAPVT XIX.

DE BONIS MATRIMONII.

DE hac materia lege S. Augustinum in lib. de Nuptijs & concupisc. cap. 11. & in lib. de bono coniugali, & lib. 9. super Genes. ad litteram c. 7. Magistrum cum DD. in 4. d. 31.

Quenam & quot sunt bona Matrimonij?

TRIA. Fides, Proles, & Sacramentum. In fide attenditur, ne coniunx cum alio aliaue sese commisceat. In prole, vt amanter suscepta religiosè educetur. In sacramento, vt consummatum coniugium, quo ad substantiam non dirimatur, tametsi coniuges, seu fornicationis causa, seu gratia religionis, thoro separari valeant.

Nota,

Nota, in dissolubilitatem, siue vinculum
dissolubile, vocari bonum sacramenti, con-
gationem procreandi prolem, & religio-
ducandi, bonum prolis appellari: & mutua
obligationem seruandi fidem, fidei bonum
nuncupari, scilicet vt nullus coniugum
admisceatur. Nunc circa hæc bona Matrimo-
nij, mouendæ sunt aliquæ difficultates.

*Prima difficultas. An secluso sine prole, actus
coniugalis sit licitus?*

ADVERTENDVM in primis, aliquæ
de causis concubitus coniugalem
contingere. Aut causa generandi, aut
tum reddendi, aut solius libidinis siue vo-
tatis explendæ gratia: aut ad vitandam for-
cationem in se, vel consorte; aut ob motum
aliudûe incommodum cauendum.

Prima Conclusio. Exercere actum coniu-
galem causa generandi prolem, aut reddendi
bitum, nullum est peccatum, sed quando
in gratia, cum alijs debitis circumstantijs,
actus meritorius: Probat, quia in tali
seruatur debitus finis, & bona fidei, & pre-
concurrunt, & præcepto Apostoli satis fit, vt
ri vir debitum reddat, & vxor viro: ergo ad
iustitiæ est reddere.

Secunda Conclusio. Accedere ad coniugium
generationis causa, cum voluptate, & de-
lectatione adhærente & placente, nisi nimis

excessus voluptatis procuretur, nullum est peccatum. Sot. in 4. d. 31. quæst. 1. artic. 3. Ioseph. Angles in 4. de Matrim. in quæst. de soluendo debito quæst. 5. difficult. 3. & alij alibi. Quia finis huius actus est rectus & honestus, & natura delectationem tali actui, propter necessitatem conseruandi speciem adiunxit, veluti sumptioni cibi & potus, ob necessitatem conseruandi indiuidui, ergo sicut cibum & potum cum delectatione capere, nulla est culpa, nisi nimius sit excessus, ita etiam coniugalem actum exercere cum delectatione, culpa carebit.

Tertia Conclusio. Concubitus habitus solo animo explendi voluptatem, & quærendi delectationem, cum coniuge, est peccatum veniale. Est s. Augustini expressè, de bono coniugali c. 6. & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 4. & in Enchiridio, cap. 78. & DD. cit. & S. Thom. Richar. & aliorum in d. 31. Quia huiusmodi actus est inutilis, & otiosus, non reatus in debitum finem.

Quarta Conclusio. Marito licitum est debitum petere ab vxore, causa vitandæ fornicationis in illa, & è contra, vxori licet à marito exigere, causa vitandi in illo. S. Augustin. de bono coniugali. cap. 7. & 10. Bedæ 1. Corinth. 7. Magistr. & S. Thom. & aliorum in d. 31. Quia huiusmodi redditio spectat ad fidem coniugij.

Quinta

Quinta Conclusio. Quando coniun-
sarium arbitratur ad vitandum fornicationem
in seipso, licitum est ei debitum exigere. Be-
ard. in d. 31. art. 3. q. 1. Durand. q. vlt. Cane-
summa verb. Matrimonium. cap. de vitia
trimonij. Syluest. in verb. debitum coniug.
Ioseph. Angles. 4. difficult. loc. cit. *Ratio.*
Matrimonium non solum est in officium
turæ, sed etiam in remedium concupiscentiæ
& si est actus charitatis exigere debitum
propter vitandam in alio fornicationem, magis
magis erit propter vitandam fornicationem
in semetipso, quia charitas incipit à seipso
cedit sententia S. Pauli 1. Corinth. 7. Pro
fornicationem vnusquisque propriam
habeat, & vnaquæque proprium virum.

Sexta Conclusio. Abusus actus Matrimo-
nis, est peccatum mortale, quoties est contra
naturalem ordinem, aut ex seminis efflu-
prolis generatio impeditur, i. pars con-
man. 1. vbi Apostolus reprehendit fornicationem
gentilium, quæ cum proprijs viris mutua-
runt vsum in eum, qui est contra naturam
pars patet, quia finis principalis Matrimo-
nijs qui est prolis generatio, impeditur.

Septima Conclusio. Amplexus, & oscula
quando honestè fiunt & amoris ergo
coniuges, si absit periculum pollutionis, non
sunt peccata: Alias peccatum committitur
mortale, si periculum pollutionis sit.

Octava Conclusio. Coniunx qui, vel quæ, cum coniuge eo animo actum habet, quod haberet, vel vellet habere illum, etiamsi non esset sibi coniunx, mortaliter peccat. Palud. in 4. d. 32. quæst. 3. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 1. Nauarr. in Manuali cap. 16. num. 23.

SECUNDA DIFFICULTAS DE
Fide mutua coniugum reddendi sibi
inuicem debitum.

Quando obligentur, & quando excusentur?

VIDE Magistrum cum Doctoribus in 4. dist. 32.

Prima Conclusio. Vterque coniugum, est alteri de necessitate præcepti obligatus, ut debitum ei reddat, constat 1. Corinth. Vir vxori debitum reddat: Similiter & vxor viro: ratio redditur ab Apostolo, quia mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: Similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.

Secunda Conclusio. Vnus coniugum non reddendo alteri debitum, excusatur à mortali, vel quando remissè petitur, vel quando rogatus iuri suo cedit: Ratio, quia in debitis ciuilibus in his casibus, quis excusatur à solutione debiti.

Tertia Conclusio. Vnus coniugum non tenetur alteri reddere debitum, quando ex eo mortis, grauis infirmitatis, aut abortus periculum

M . . . culum

culum timetur, vt Doctores sentiunt. Hoc peccatum est secundū aliquos mortale, tempore menstrui petere debitū, & etiam reddere: quia proli generandæ grauissima iniuria.

Deinde etiam infertur, coniugem sanum non teneri, ad reddendum debitum leproso, quando periculum probabile est contagij, & infirmitatis.

Aduertendum in hac materia, quod tempus cum sit maioris verecundiæ, quam vir, non solum explicitè semper, sed etiam nutibus signis interpretatiuè quandoque debitum petitur, vt DD. tradunt.

Quarta Conclusio. Non licet in diebus solemnitatibus præcipuarum; vt Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, & Veneris sanctæ debitū petere. can. Quotiescunque 33. quæst. 4. his verbis. Quotiescunque Natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduerint, est ab vxoribus abstinendum. Non parum tamen Sotus, plusquam veniale esse; prædictis festiuitatibus petere.

Quinta Conclusio. Reddere quocumque tempore debitum est licitum, patet, I. Corinth. 7. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: Sotus in d. 32. q. 1. art. vlt. Nauarrus Manuali cap. 17. num. 24. & alij alibi.

Sexta Conclusio. Tempus sumptionis Eucharistiæ ad 24. horas, & orationis ex confessione utriusque, secundum Pauli consilium, in peccato

pedit ex decentia, & honestate petitionem debiti. Conclusio satis nota est.

*TERTIA DIFFICULTAS DE
separatione Matrimonij &
diuortio.*

An iuncti Matrimonio separari possint?

NOTANDUM, aut hoc potest intelligi, quantum ad vinculum Matrimonij, aut quantum ad thorum, & cohabitationem. Deinde aut loquimur, de Matrimonio rato; aut consummato.

Prima Conclusio. Matrimonium ratum, necdum consummatum, dissoluitur etiam, quo ad vinculum, per ingressum & professionem religionis approbatæ, est de fide, cap. Ex publico. & alijs. de conuersione coniugatorum, & in d. cap. Ex publico, adferuntur de hac re exempla sanctorum Macharij, & Alexij, qui post Matrimonium ratum ingressi religionem sunt. Hæc autem dissolutio per ingressum religionis, fit potius auctoritate Dei quàm Ecclesiæ. Quos enim Deus coniunxit, homo nõ separet. 27. q. 2. Can. scripsit: Per professionem religionis, homo quasi moritur mundo. Hinc alter coniunx manens in seculo post professionem consortis, potest iterum contrahere, ex d. cap. Ex publico.

Secunda Conclusio. Matrimonium consummatum nullo modo est separabile, quo ad vinculum, nisi per mortem alterius coniugis, & stat. Matth. 19. Quos Deus coniunxit homo non separet. 1. Corinth. 7. Præcipio non ego sed dominus vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, & iterum, Mulier quæ sub viro est viuente viro, ligata est legi viri: Si autem mortuus fuerit eius, soluta est à lege, & ca. Ex literis, de diuortijs, de hac materia latius infra.

Tertia Conclusio. Certissimum & de fide est, quod Matrimonium consummatum potest separari, quoad thorum, patet. Matth. 19. Dominus permittit fornicationis causa virum à vxore discedere, & toto titulo de diuortijs communis est hæc DD. sententia in 4. d. 36.

Quarta Conclusio. Integrum est viro, vxorem dimittere fornicationis causa, quantum ad thorum, probatur auctoritate Saluatoris Matth. 19. & communi omnium Christianorum consensu. Quia frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Quinta Conclusio. Vxor quoad thorum non potest adulterum dimittere, ei que debitum non exigere potest, probatur 32. quæst. 5. Can. Christiana, vbi dicitur, quod Christiana religio adulterium in vtroque sexu, pari ratione condemnat, & ibidem quæst. 7. can. Apostolus, & ca. Vxor à viro. Idem patet auctoritate Apostoli.

foli, qui tribuit etiam viro, quod potestatem sui corporis non habeat, sed vxor. Iudicantur ergo in causa diuortij vir & vxor ad paria. Contrarium huius Conclusionis, sed malè, videtur docuisse Caietan. super Matt. 19. Qui hoc privilegium, tantum viris concessum autumat. Sed omnes DD. sunt in contrarium. Non tamen tam vel honestum, vel consuetum est, vxorem diuortium petere, quàm virum, vt Sotus in d. 39. quæst. 1. art. 4. rectè ait.

Sexta Conclusio. Etsi vir possit vxorem dimittere ob fornicationem, non tamen tenetur si pœnitentia ducta emendatur, & nō perseuerat in crimine. Quia verba Christi Matth. 19. non insinuant præceptum, sed consilium.

Septima Conclusio. Quando maritus, nullo modo potest euitare apud homines, suspicionem participationis in crimine, vxorem retinendo, tenetur eam relinquere: Quia tenetur euitare scandalum, ne iudicetur consentire in peccatum vxoris. Hæc conclusio ponitur à Magistro & DD. in d. 36. Eadem est ratio, quando dimissio iudicaretur necessaria ad correctionem, & emendationem vxoris, can. Si vir, de adult. & stup.

Octaua Conclusio. Cessante scandalo, & spe emendationis, vir non tenetur vxorem etiam perseuerantem in crimine relinquere, præsertim si dimissa deterior futura credatur. Quia cum cesset scandalū, vir suo iuri cedere potest.

Nota nomine fornicationis, hinc intelligitur etiam adulterium & coitus contra naturam, vt Panormit. in capit. Maritus, de adulterio. S. Thom. & Paludan. in d. 36. Syluest. in v. Diuortium, quæst. 7. & alij alibi attestantur.

Octaua Conclusio. In sequentibus casibus non potest vxorem adulteram dimittere.

Primus, Si vir quoque adulterium commiserit, cap. Intelleximus, & cap. fin. de adulterio. Quia propria delicta mutua compensationem tolluntur.

Secundus, Si vir vxorem prostituert, & sine discretionem, de eo, qui cognouit conjugem uxoris suæ.

Tertius, Quando vxor bona fide existimauit primum maritum mortuum nupsit alteri à primo dimitti non potest, 34. q. 2. can. cum per bellicam.

Quartus, Quando aliquis fraudulenter, sine specie mariti illam cognouit, can. in lectura 34. quæst. 2.

Quintus, Si vxor vi & violentia opprimatur, 32. q. 5. can. Ita ne. & can. Propositio. Quia non est culpa, pœna esse non debet.

Sextus, Si post commissum adulterium, vxor adulterij conscius eam cognouit, 32. q. 5. can. Si quis vxorem.

Septimus additur. Quando repudiata fuerit vxor ante Baptismum, si ambo ad fidem conuertantur, licet fuerit à secundo viro ante Baptismum.

tisimum cognita, priori nihilominus erit reconcilianda, cap. Gaudemus, de diuortijs. De his vide Magistrum cum DD. in d. dist. 36. 4. libri.

Nona Conclusio. Quando vir cognoscit vxorem in adulterio deprehensam, potest eam priuata auctoritate è suo thoro repellere, eique debitum negare. Quia quando vxor viro fidem fregit, vir iuxta diuinam legem absolutus est, ab obligatione reddendi debitum. Sot. in d. dist. quæst. 1. artic. 3. Joseph. Angles de Matrimonio in q. de diuortio ob adulterium, 3. difficult. & alij alibi. Idem est iudicium de vxore.

Decima Conclusio. Nemini licet, quantum ad cohabitationem sine iudicio Ecclesiæ, ab vxore adultera recedere: Quia nemo in propria causa potest esse iudex, & accusator. Idem statuitur in capit. Porro, de diuortijs. Hæc Conclusio intelligitur, nisi adulterium fit omnino publicum & notorium, tunc enim absque alio iudicio potest pelleri, cap. Significasti, de diuortijs.

Vndecima Conclusio. Facto ob fornicationem, aut adulterium diuortio, neutri coniugum licitum est, viuente altero ad secundas nuptias transire, siue aliam vxorem, aut virum ducere: Quare constans & Catholica veritas est, ob fornicationem alterius coniugis diuortium factum, non soluere Matrimonium quo ad

vinculum. Hæc veritas probatur testimonio
 adductis in 2. Conclus. & Matth. 19. Qui dimi-
 serit vxorem nisi ob fornicationem, & aliam
 duxerit mœchatur. Vbi Christus duo præce-
 pit. Primum, ne Christiani dimittant vxore-
 dantes eis libellum repudij more Iudæorum
 Secundum, ne illis repudiatis alias ducan-
 tunc exceptiua particula (nisi) tantum refer-
 tur ad prius præceptum, & non secundum
 Deinde probatur canonibus, cap. Ex literis
 diuortijs, 32. q. 7. can. placuit, & can. fidelis
 in Concil. Florent. his verbis. Quamuis
 causa fornicationis liceat thori separationem
 facere, non inde aliud Matrimonium contra-
 here fas est, cum Matrimonij vinculum legi-
 timè contractum perpetuum sit. Pro hac
 vide multas auctoritates Patrum, apud Sorum
 loc. cit. artic. 5. & Alphons. Castrenf. de hære-
 ticis verb. Nuptiæ, hæres. 5. Hinc confutatur error
 Erasmi in annotationibus in capit. 19. Matth.
 & in paraphrasi 1. Corint. 7. affirmantis po-
 adulterium vxoris, Matrimonium quo ad vin-
 culum dissolui, ita vt liceat coniugi vtrique
 secundas nuptias transire. Erasmi error dam-
 natus est, ab vniuersitate Parisien. Erasmo ad-
 hæsit Caietan. in d. cap. Matthæi, sed malè.

Duodecima Conclusio. Præter fornicationem
 carnalẽ, sunt alia peccata, propter quæ potest
 fieri separatio quo ad thorum, sunt autẽ hæc
 fornicatio spiritualis, vt hæresis, & Apostasia

aut idololatria, capit. Quæsiuit, de diuortijs
 Inimicitia capitales: aut si alter alterius vitæ
 insidietur nimis, dura & sæua tractatio alteri-
 us coniugis, capit. literas de restitutione spo-
 liatorum: aut etiamsi alter coniugum, alium
 inducat ad peccatum mortale aliud, & non
 potest ab inducendo retrahi: iuxta Palud. in
 4. d. 39. quæst. 1. Panormit. Anthonium à Bu-
 trio & alios in d. cap. Quæsiuit, Nauarr. in Ma-
 nuali confessor. cap. 22. num. 22. Ponitur autē
 in Euangelio, sola causa fornicationis, quia
 hæc dat causam perpetuæ separationis, quan-
 tum ad thorum, etiam post pœnitentiam alte-
 rius. Reliqua verò peccata, quàm diu durant,
 sunt impedimenta.

Decimatertia Conclusio. Cessante scandalo vir
 potest, quamuis non teneatur, sibi reconcilia-
 re vxorem adulteram. Patet ex B. Paulo dicē-
 te, maneat in nupta, aut suo viro reconcilietur. *1. Cor. 7.*
 Hæc de sacramento Matrimonij: Qui latio-
 rem voluerint doctrinam, hauriant ex
 fontibus, vnde hos riuulos
 deduximus.

*Atque his premisis prima tractatus pars
 absolvitur?*

M 5

SECVN-